WILLIAM OF SHERWOOD, 'INTRODUCTIONES IN LOGICAM' CRITICAL TEXT

By CHARLES H. LOHR
with PETER KUNZE and BERNHARD MUSSLER

William of Sherwood (or Shyreswood) was an English logician of the thirteenth century. Little is known of his life. He possibly taught logic at Paris from about 1235 to about 1250. By 1252 he was active as master at Oxford. Between 1254 and 1258 he became treasurer of the Cathedral of Lincoln, an office he seems to have retained until his death. He was rector of Attleborough (Buckinghamshire) from about 1257 and prebendary of Aylesbury (Lincolnshire) by 1266. He died between 1266 and 1272.[1]

Apart from various theological works (*Lectura Sententiarum, Distinctiones theologicae, Conciones*) William is known only as the author of three treatises on logic: *Introductiones in logicam, Syncategoremata, Obligationes.* Although several manuscripts containing these works are known, the three of them are found together only in MS Paris Bibliothèque Nationale lat. 16617 (Sorb. 1797) (XIII/XIV).[2] This parchment manuscript consists of 224 folios grouped into sexternions (with the exception of the quires fols 209–224 = two gatherings of eight folios each) and is made up of two different parts. The first part (fols 1–

[1] *Dictionary of National Biography* 52 (1897) 146f.; P. Glorieux, *Répertoire des maîtres en théologie de Paris au XIII^e siècle* I (Paris 1933) 289f. (Guillaume de Durham); J. C. Russell, *Dictionary of Writers of Thirteenth-Century England* (London 1936) 200; M. Grabmann, 'Die Introductiones in logicam des Wilhelm von Shyreswood († nach 1267): Literarhistorische Einleitung und Textausgabe,' *Sb. Akad. München* (1937) Heft 10 at 10–15; A. B. Emden, *A Biographical Register of the University of Oxford to A.D. 1500* III (Oxford 1959) 1693f.; N. Kretzmann, trans., *William of Sherwood's Introduction to Logic* (Minneapolis 1966) 3–13.

[2] Descriptions of the manuscript are provided by R. Steele, *Opera hactenus inedita Rogerii Baconi* XV (Oxford 1940) xvii; Grabmann, *art. cit.* 15–26; J. R. O'Donnell, 'The Syncategoremata of William of Sherwood,' *Mediaeval Studies* 3 (1941) 46–93 at 46; Kretzmann, *op. cit.* 13–16; L. M. de Rijk, 'Some Notes on the Mediaeval Tract De insolubilibus,' *Vivarium* 4 (1966) 83–115 at 90–93; H. A. G. Braakhuis, 'The Second Tract on Insolubilia Found in Paris B. N. lat. 16617,' *Vivarium* 5 (1967) 111–45 at 111f.; M. L. Roure, 'La Problématique des propositions insolubles au XIII^e siècle et au début du XIV^e,' *AHDLMA* 37 (1970) 205–326 at 248; F. Alessio, ed., *Lamberto d'Auxerre: Logica* (*Summa Lamberti*) (Florence 1971) li-liii; L. M. de Rijk, 'Some Thirteenth-Century Tracts on the Game of Obligation. III,' *Vivarium* 14 (1976) 26–49 at 26–29; *idem, Die mittelalterlichen Traktate De modo opponendi et respondendi* (BGPhThMA NF 17; Münster 1980) 89–95. Cf. also H. A. G. Braakhuis, 'The Views of William of Sherwood on Some Semantical Topics and Their Relation to Those of Roger Bacon,' *Vivarium* 15 (1977) 111–42; E. Stump, 'William of Sherwood's Treatise on Obligations,' *Historiographia linguistica* 7 (1980) 249–64.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

170) was written (222 × 167 mm., written space 168 × 108 mm.; long lines, 34 lines) by three different hands of the late thirteenth or early fourteenth century: fols 1r–64v English, fols 64v–131r, fols 131r–170v. The second part (fols 171–224) was written (224 × 165 mm., 155 × 122 mm.; two columns 43 lines) by two different hands: fols 171–220, fols 220–224. This second part of the manuscript originally formed a unity with MS BN lat. 16390 fols 135–206 and belonged to Peter of Limoges († 1306).[3] The contents of the manuscript are as follows:

1 (fols 1r–23r) *Introductiones* MAGISTRI GUILELMI DE SHYRESWODE *in logicam*. Ed. Grabmann 30–104; cf. Kretzmann, transl. 21–167.
2 (fols 23r–46r) *Sincategoreumata* MAGISTRI GUILLELMI DE SHIRESWODE. Ed. O'Donnell 48–93; cf. N. Kretzmann, transl., *William of Sherwood's Treatise on Syncategorematic Words* (Minneapolis 1968) 13–158.
3 (fols 46r–50v) ANON., *De insolubilibus*. Ed. Roure 248–61; cf. P. V. Spade, *The Mediaeval Liar: A Catalogue of the Insolubilia-Literature* (Toronto 1975) 26–28.
4 (fols 50v–54v) ANON., *De insolubilibus*. Ed. Braakhuis 1967, 131–45.
5 (fols 54v–62v) *Obligationes* MAGISTRI W. <WILLIAM OF SHERWOOD>. Ed. E. Green, *An Introduction to the Logical Treatise* DE OBLIGATIONIBUS, *with Critical Texts of William of Sherwood* (?) *and Walter Burley* (diss.; Louvain 1963) II 1–33.
6 (fols 62v–64v) ANON., *Petitiones contrariorum*. Ed. de Rijk 1976, 43–49.
7 (fols 64v–131r) <LAMBERTUS AUTISSIODORENSIS>, *Summa logicae*. Ed. Alessio 3–245.
8 (fols 131r–161v) <PS.-ALBERTUS MAGNUS>, *De modo opponendi et respondendi*. Ed. in part de Rijk 1980, 193–286.
9 (fols 161v–170v) ANON., *De communibus artium liberalium*.
10 (fols 171r–182v) ANON., *Quaestiones de veteri logica*. Continuation of BN lat. 16390 fols 194r–206v; cf. de Rijk 1980, 96–98.
11 (fols 183r–205v) ANON., *Communia grammaticae*.
12 (fols 206r–224r) ANON., *Ars dictaminis* (fols 220v–224v epistolae).

Two additional manuscripts contain parts of William's *Introductiones in logicam*. MS Venezia Biblioteca Marciana Z. lat. 302 (1873) (XIV) contains (fols 151r–155v) *Obligationes magistri W. de Syrewode* and (fols 161r–162v) an excerpt from the tract *De proprietatibus terminorum* (*De suppositione, De copulatione*) from William's *Introductiones, inc*: Quattuor sint proprietates termini communis (5.0.1) . . . / . . . ad copulatum (5.2.2).[4]

The second manuscript is MS Worcester Cathedral Library Q.13 (XIV). This parchment codex contains various logical and philosophical tracts, primarily of English origin. On fols 58r–59v we find the entire tract *De proprietatibus terminorum* from William's *Introductiones* under the title: *Suppositiones ma-*

[3] Concerning whom see J. N. Hillgarth, *Ramon Lull and Lullism in Fourteenth-Century France* (Oxford 1971) 158 *et passim*.

[4] Cf. J. Valentinelli, *Bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum* IV (1870) 150 (Cl. X 204), which should be supplemented by de Rijk *art. cit.* (1976), 27f.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

gistri W. de Syrewode, inc.: Quattuor sunt proprietates termini communis (5.0.1) . . . / . . . cum verbo vel cum alio (5.3.6). This tract is followed (fols 59v–63v) by anonymous *Quaestiones super tractatum Guillelmi de Syrewode De suppositionibus, inc.*: Quaeritur: Utrum significatio sit proprietas termini? Quod non videtur .../... secundum quod est determinatio animalis. Explicit.[5]

Because Grabmann's edition of the *Introductiones in logicam* has been subject to a considerable amount of criticism,[6] we offer here a new edition of the text. The text must still be that of the Paris manuscript. This manuscript provides a very reliable text; it is written carefully in a very neat hand and has been corrected by two other hands, one of which has added titles in the margin. The other two manuscripts offer — independently of one another — stylistically improved versions of parts of the tract *De proprietatibus terminorum*. Since these manuscripts are less interesting for the constitution of the text than for the *Wirkungsgeschichte* of William's work, we have supplied a complete apparatus of their variant readings as an appendix to the edition of the text. Occasional conjectural corrections of the Paris manuscript have been noted beneath the text (the abbreviations P, V, W, Gr, Kr stand for the Paris, Venice, Worcester manuscripts and the Grabmann and Kretzmann texts respectively). Titles supplied in the margin of the manuscript have been inserted in the text; titles supplied by us have been included in pointed brackets. William's citations of Aristotle and other authorities have been checked as far as possible and references to modern editions supplied. The orthography and punctation have been modernized. In order to make the text more easily readable we have set key words in italics and divided the text into numbered paragraphs. Since many medieval tracts on logic include material which may be regarded as comment on a basic text (Lambert of Auxerre's *Summa* is really made up of a compendium and a commentary *per modum quaestionis*), we have attempted to bring out the structure of William's work by distinguishing in the size of the type employed between what seemed to us to be basic text and annotation; it will surely be possible to disagree with some of our decisions in this regard, but we hope that the distinction will help comprehension and perhaps throw some light on the growth of this type of literature.

We are grateful to Franjo Kovačić, Kurt Schweiss, and other members of the seminars on medieval logic at the Raimundus-Lullus-Institut for their many helpful criticisms and suggestions.

Raimundus-Lullus-Institut
der Universität Freiburg i. Br.

---

[5] A complete description of this manuscript may be found in C. H. Lohr, 'Aristotelica Britannica,' *Theologie und Philosophie* 53 (1978) 79–101 at 97–99.

[6] See especially the footnotes to Kretzmann's translation and J. Malcolm, 'On Grabmann's Text of William of Sherwood,' *Vivarium* 9 (1971) 108–18.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Introducción del decano; Guillermo de Shyreswood en Lógica

INTRODUCTIONES MAGISTRI GUILELMI DE SHYRESWODE IN LOGICAM

Cum duo sunt tantum rerum principia, scilicet natura et anima, duo erunt rerum genera. Quaedam enim sunt res, quarum principium est natura. Et de his est *naturalis scientia* communiter dicta. Et quaedam, quarum principium est anima. Et hae sunt duplices. Cum enim anima sine virtutibus et scientiis sit creata, quasdam facit operationes, per quas deveniat ad virtutes. Et de his est *ethica*. Quasdam autem facit operationes, per quas deveniat in scientiam. Et de his est *sermocinalis scientia*. Haec autem tres habet partes: *grammaticam*, quae docet recte loqui, et *rhetoricam*, quae docet ornate loqui, et *logicam*, quae docet vere loqui.

I

<DE ENUNTIATIONE>

1.0 Haec autem est de syllogismo principaliter, ad cuius cognitionem necesse est cognoscere propositionem, et quia omnis propositio est ex terminis, necessaria est termini cognitio. Quia ergo propositio et enuntiatio idem sunt secundum rem, licet differant in eo, quod *enuntiatio* significat aliquid absolute, *propositio* autem significat aliquid in comparatione ad aliud, ideo prius de enuntiatione agendum. Prius est enim aliquid cognoscere in se, quam in comparatione ad aliud. Ex nomine autem propositionis patet, quod significat in comparatione ad aliud. Est enim propositio positio pro alio, scilicet pro conclusione concludenda. Unde si in se consideratur, est enuntiatio; si autem consideratur, ut est in syllogismo, sic est propositio.

<*De partibus enuntiationis*>

1.1 Cum igitur agendum sit de enuntiatione, prius agendum est de suis partibus, quae sunt *nomen* et *verbum*. Et dicuntur hae partes enuntiationis, quia potest ex his fieri enuntiatio et ex nullis aliis. Quamvis enim ex pronomine et verbo vel participio et verbo fiat enuntiatio, tamen hoc est per naturam nominis, quam pronomen et participium habent. Unde in quantum naturam nominis participant, sub nomine comprehenduntur.

Prius autem agendum est de nomine quam de verbo, quia est principalior pars quam verbum. Ideo ab eo inchoandum est. Et quia omne nomen est vox et omnis vox est sonus, ideo a sono tamquam a primo inchoandum est.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<De sono>

1.1.1 Est autem sonus proprium sensibile aurium. Et dividitur sic: Sonus alius vox, alius non vox. *Sonus vox* est vox, ut quod fit ab ore animalis. *Sonus non vox*, ut strepitus pedum, fragor arborum et similia.

<De voce>

1.1.2 Vox sic dividitur: Alia significativa, alia non significativa. *Vox significativa* est, quae aliquid significat; *non significativa*, quae nihil significat, ut: 'buba blictrix.'

Vox significativa quaedam significat naturaliter, quaedam ad placitum: *Naturaliter*, quae natura agente, aliquid significat, ut gemitus infirmorum et similia; *ad placitum*, quae ex humana institutione significationem recipit. Huius autem sunt nomina et verba. Vox significativa ad placitum aut est *complexa*, ut oratio, aut *incomplexa*, ut dictio. Incomplexa quaedam significant cum tempore, ut verbum; quaedam sine tempore, ut nomen. Et utrumque dividitur per finitum et infinitum, per rectum et obliquum.

Definitio nominis

1.1.3 Est autem nomen vox significativa ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, recta.

Et dicitur 'vox' ad differentiam soni, qui non est vox, ut fragor arborum. 'Significativa' ponitur ad differentiam vocis non significativae. 'Ad placitum' autem ad differentiam vocis significantis naturaliter. 'Sine tempore' apponitur ad differentiam verbi et participii, quae significant cum tempore. 'Cuius nulla pars separata,' haec particula ponitur ad differentiam orationis, cuius partes separatae aliquid significant, ut patebit. 'Finita' ponitur ad differentiam nominis infiniti, quod non est nomen proprie loquendo, quale est haec dictio 'non-homo.' Et dicitur 'infinitum,' quia ea, quae infinita sunt, significat. 'Recta' ponitur ad differentiam nominis obliqui, quod non est nomen secundum logicum, [1v] quia ex ipso et verbo non potest fieri enuntiatio. Est tamen nomen secundum grammaticum.

Et nota, quod nomen significat tempus, non tamen per modum temporis, ut: 'annus,' 'mensis,' 'dies' et huiusmodi.

Definitio verbi

1.1.4 Verbum autem est vox significativa ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, recta.

(1.1) 39 ea - sunt] *conieci* (cf. Boethius, *De syllogismo categorico* I [PL 64. 795D]); indeterminate Gr; eaptmete (?) P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et sciendum, quod primae tres particulae idem operantur hic et in priori definitione. Haec autem particula 'cum tempore' ponitur ad differentiam nominis significantis sine tempore. Haec particula 'cuius nulla pars separata significat' idem operatur hic, quod prius. Haec particula 'finita' apponitur ad differentiam verbi infiniti, cuiusmodi sunt: 'non currit,' 'non laborat.' 'Recta' vero ponitur ad differentiam verbi obliqui.

Et sciendum, quod rectum dicitur verbum indicativi modi et verbum alterius modi dicitur verbum obliquum. Sed tamen magis proprie dicitur rectum solum verbum praesentis temporis indicativi modi. Verba autem alterius temporis ad hoc inclinant et obliquantur.

Et sciendum, quod in utraque definitione per hanc particulam 'significativa' separantur omnes partes indeclinabiles, quia non significant proprie, sed consignificant, id est cum alio significant. Hoc enim, quod significant, significant, ut sunt dispositiones alterius.

Definitio orationis

1.2.1 Quia ad cognitionem enuntiationis exigitur cognitio orationis, videndum est: Quid sit oratio? Est autem oratio vox significativa ad placitum, cuius partes separatae significant.

Et tres primae particulae idem operantur hic et in prioribus. Haec autem particula 'cuius partes etc.' apponitur ad differentiam dictionis, cuius partes non significant.

<De divisione orationis>

1.2.2 Oratio autem sic dividitur: Orationum alia perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est, quae perfectum intellectum constituit in animo audientis, ut haec: 'Homo est albus.' *Imperfecta*, quae imperfectum constituit intellectum in animo auditoris, ut: 'Homo albus.'

Perfecta vero ulterius dividitur. Quaedam enim est *indicativa*, et haec est, quae fit per modum indicativum, ut: 'Homo currit.' Quaedam *imperativa* sive deprecativa, et haec est, quae fit per modum imperativum sive deprecativum, ut: 'Veni lectum.' Quaedam *optativa*, ut: 'Utinam legerem.' Quaedam *conjunctiva*, ut: 'Cum legam.' Quaedam *infinitiva*, ut: 'Socratem legere.' Quaedam *interrogativa*, ut: 'Quis homo currit?'

<*De definitione enuntiationis*>

1.3.1 Sed inter hos modos omnes sola indicativa oratio significat verum et falsum, ut dictum est prius, quia solum ad hanc respondendum est:

(1.3) 2 Cf. § 1.2.2.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

'Verum est' vel 'Falsum est,' et ideo haec sola est *enuntiatio*. Dicit enim Boethius, quod propositio est oratio 'verum vel falsum significans'; et ideo facit ibi differentiam inter propositionem et enuntiationem. Aristoteles autem sic definit enuntiationem: Enuntiatio est oratio, significans 'aliquid de aliquo vel aliquid ab aliquo.' Et intelligit per hoc, quod dicit 'de aliquo,' inhaerentiam praedicati in subiecto; et per hoc, quod dicit 'ab aliquo,' intelligit remotionem eiusdem a subiecto.

Divisio enuntiationis

1.3.2 Cognita enuntiatione per suam definitionem et secundum se, restat cognoscere eam per divisionem et in suis partibus. Partes autem dupliciter sunt, scilicet aut integrales aut subiectivae. Partes *integrales* sunt, ex quibus constituitur totum secundum integritatem, et de his numquam praedicatur totum. Partes *subiectivae* sunt, ex quibus constituitur totum in sua communitate, sed de his praedicatur totum.

Partes ergo *integrales* enuntiationis sunt subiectum et praedicatum. Et est *subiectum* illud, de quo fit sermo. *Praedicatum* autem est illud, quod de alio praedicatur, ut: 'Socrates currit.' Iste terminus 'Socrates' est subiectum, quia de eo est sermo. 'Currit' autem est praedicatum, quia dicitur de alio.

Et dicunt quidam, quod haec particula 'est' [2r] est tertia pars, quae scilicet est copula. Sed non est ita. Cum enim sit verbum, significat id, quod de altero dicitur, et sic erit praedicatum. Sed consignificat compositionem, quae est copula, et omne aliud verbum sic consignificat per naturam illius.

1.3.3 Dividitur autem enuntiatio in *partes subiectivas* penes naturam subiecti vel praedicati sic: Enuntiatio alia una, alia plures. Et est *una* in qua praedicatur unum de uno. *Plures*, in qua praedicatur unum de pluribus, vel plura de uno, vel plura de pluribus.

1.3.4 Item. Dividitur penes substantiam enuntiationis sic: Enuntiatio alia categorica, alia hypothetica. *Categorica* est, cuius substantia consistit ex subiecto et praedicato. Et dicitur categorica a categorizo, -zas, quod est praedico, -cas, eo quod talis perficitur per praedicatum. *Hypothetica* dicitur, cuius substantia consistit ex duabus categoricis coniunctis. Et dicitur ab 'hypos,' quod est 'sub,' et 'thesis,' 'positio,' quasi suppositiva, ut haec: 'Socrates currit et Plato disputat.' Ponitur enim una categorica sub alia. Ad quaestionem igitur factam per hoc nomen 'Quae?,' quod est quaesitum substantiae, respondendum: 'Categorica' vel 'hypothetica.'

(1.3) 5 Boethius, *In librum De interpretatione* ed. sec. (PL 64.454D).
(1.3) 6 Aristoteles, *Perihermenias* 5 (17a21).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<De enuntiatione categorica>

1.4.1 Dividitur autem enuntiatio secundum *qualitatem* in affirmativam et negativam. Et est *affirmativa*, cuius praedicatum dicitur inesse subiecto, ut: 'Hic homo currit.' *Negativa*, cuius praedicatum dicitur removeri a subiecto, ut hic: 'Homo non currit.' Ad quaestionem igitur factam per hoc nomen 'Qualis?' respondendum est: 'Affirmativa' vel 'Negativa.'

1.4.2 Dividitur autem enuntiatio categorica secundum *quantitatem* sic: Alia est universalis, alia particularis, alia indefinita, alia singularis.

Universalis est, in qua subicitur terminus communis, determinatus signo universali, ut haec: 'Omnis homo currit.' Et est terminus communis terminus aptus natus praedicari de pluribus. Signum universale est, quod significat praedicatum dici de subiecto vel removeri universaliter, id est pro qualibet parte. Qualia sunt 'omnis,' 'nullus,' 'quilibet,' 'uterque,' 'quantuslibet,' 'quodlibet,' 'qualelibet' et similia.

Particularis autem est, in qua subicitur terminus communis, determinatus signo particulari, ut haec: 'Aliquis homo currit.' Et est signum particulare, quod significat praedicatum dici de subiecto vel removeri pro aliqua parte. Et huiusmodi sunt haec: 'aliquis,' 'quidam,' 'alter,' 'aliquantus,' 'aliquot,' 'aliqualis' et similia. Quae dicuntur signa, eo quod significant, an de toto an de parte fiat sermo.

Indefinita est, in qua subicitur terminus communis, nullo signo determinatus, ut haec: 'Homo currit.' Et dicuntur indefinita, quia non determinant, an de toto an de parte fiat sermo.

Singularis est, in qua subicitur terminus discretus, et hoc potest esse proprium nomen vel pronomen demonstrativum, ut 'Socrates currit' vel 'Iste currit.' Et quia haec divisio est secundum quantitatem, ad questionem igitur factam per hoc nomen 'Quanta?' respondendum est: 'Aliquod istorum.'

1.4.3 Est et alia divisio enuntiationis, quae accidit ei *sicut una ordinatur ad aliam*. Et ad hanc habendam divisionem ab alia divisione est incipiendum sic: Enuntiationum quaedam communicant in altero termino et quaedam in nullo. *In altero*, ut hae: 'Homo est animal,' 'Asinus est animal.' *In nullo*, ut hae: 'Homo est animal,' 'Asinus currit.'

Item. Quae altero termino participant, quaedam participant *altero tantum*, ut in penultimo exemplo; quaedam *in utroque*, ut hae: 'Omnis homo est animal,' 'Aliquis homo est animal.'

Item. Quae utroque termino participant, quaedam participant *secundum eundem ordinem*, ut in ultimo exemplo; quaedam *secundum ordinem conversum*, ut hae: 'Omnis homo est animal,' 'Quoddam animal est homo.'

(1.4) 22 ut - currit] *conieci*; *om.* P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Item. Secundum eundem ordinem aut utraque est universalis, aut utraque particularis, aut altera universalis et altera particularis. Si utraque universalis, tunc erunt diversae qualitatis; aliter enim essent idem. Cum enim [2v] utroque communicant termino secundum eundem ordinem et fuerint etiam eiusdem quantitatis, oportet eas esse diversae qualitatis; et sic erunt *contrariae*, ut hae: 'Omnis homo currit,' 'Nullus homo currit.' Si utraque particularis, tunc ratione praedicta erunt diversae qualitatis; et tunc *subcontrariae*, ut: 'Quidam homo currit,' 'Quidam homo non currit.' Si altera universalis et altera particularis, tunc aut sunt eiusdem qualitatis; et sic *subalternae*, ut: 'Omnis homo currit,' 'Quidam homo currit.' Similiter: 'Nullus homo currit,' 'Quidam homo non currit.' Aut sunt diversae qualitatis; et tunc *contradictoriae*, ut: 'Omnis homo currit,' 'Quidam homo non currit;' 'Nullus homo currit,' 'Quidam homo currit.'

Et notandum, quod non oportet huic divisioni apponere hoc membrum 'indefinitum,' quia simile est iudicium indefinite et particulare.

Similiter. Hoc membrum 'singulare' non oportet apponere eadem ratione, nisi quod in tantum differunt, quod si utraque sit singularis et diversae qualitatis, non erunt subcontrariae, sed ratione contradictoriae, ut sunt hae: 'Socrates currit,' 'Socrates non currit.'

Item. Notandum, quod universalis affirmativa et singularis negativa, et etiam universalis negativa et singularis affirmativa contrariantur ad minus quantum ad legem, quia possunt simul esse falsae et non simul verae. Posito quod Socrates currat et nullus alius, hae sunt tunc falsae: 'Omnis homo currit,' 'Socrates non currit.' Item. Posito quod Socrates non currit, sed omnes alii ab ipso, tunc istae sunt falsae: 'Nullus homo currit,' 'Socrates currit.'

Est igitur haec divisio enuntiationis, quae accidit ei in ordinatione ad alterum sive secundum comparationem, scilicet quod quaedam sunt contrariae, quaedam subcontrariae, quaedam subalternae, quaedam contradictoriae, ut in subiecta patet figura.



Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<De legibus propositionum oppositarum>

1.4.4 Notandum, quod *lex contrariarum* est, quod numquam possunt simul esse verae, possunt tamen simul esse falsae, ut hae: 'Omne animal est homo,' 'Nullum animal est homo.' Utraque enim harum est falsa.

Lex autem *subcontrariarum* est, quod numquam possunt simul esse falsae, sed simul verae, ut: 'Aliquod animal est homo,' haec est vera; et similiter: 'Aliquod animal non est homo' est similiter vera. Sed si haec est falsa: 'Aliquod animal est homo,' non posset hoc praedicatum inesse alicui singulari huius subiecti, quia si alicui inesset, esset particularis affirmativa vera, quia veritas cuilibet singulari facit veritatem in particulari. Si autem nulli singulari inesset, tunc haec: 'Aliquod animal non est homo' non est falsa. Et sic patet, quod si affirmativa sit falsa, negativa non est falsa. Similiter est e converso.

Lex autem *subalternarum* est, quod si universalis sit vera, particularis est vera; et non e converso. Similiter si particularis est falsa, et universalis est tunc falsa; et non e converso.

Lex contradictoriarum est, quod neque possunt simul esse verae neque simul falsae, ut satis patet.

Notandum etiam, quod enuntiationum triplex est materia scilicet naturalis, contingens et remota. *Naturalis* materia est, quando subiectum per suam naturam recipit praedicatum, ut: 'Homo est animal.' *Contingens*, quando contingenter recipit praedicatum, ut: 'Homo currit.' *Remota*, quando naturaliter removetur praedicatum a subiecto, ut: 'Homo non est asinus.'

Et notandum, quod cum particularis aliqua sit vera in naturali materia, sua subcontraria non potest esse vera, quia in naturali materia quidquid inest uni particulari, inest omni. Et similiter in remota quidquid removetur ab [3r] uno, removetur ab omni. Et similiter in his materiis particulare convertitur cum universali; unde in his non possunt subcontrariae simul esse verae. Item. Veritas particularis subalternae infert veritatem universalis subalternantis. Sed hae veritates non accidunt per naturam particularis, sed solum per naturam materiae.

<De enuntiatione hypothetica>

1.5 Quoniam autem quae huc usque dicta sunt, ad categoricam pertinent enuntiationem, restat nunc agere de hypothetica. Et habita est superius expositio nominis, per quam potest haberi definitio eius, scilicet haec: Enuntiatio hypothetica est, quae ex duabus categoricis coniungitur. Et hoc potest esse tripliciter: (1) Aut per copulativam coniunctionem. Et dicitur tunc *copulativa*, ut haec: 'Socrates currit et Plato disputat.' (2)

(1.5) 4 Cf. § 1.3.2.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Vel per disiunctivam coniunctionem. Et tunc dicitur *disiunctiva*, ut haec: 'Socrates est homo vel asinus.' (3) Vel per consecutivam. Et tunc dicitur *conditionalis*, ut haec: 'Si Socrates est homo, Socrates est animal.' Et haec proprie dicitur hypothetica ab hypothesi dicta, quod est conditio.

Ad hoc ergo, quod copulativa sit vera, necesse est, quod utraque pars sit vera. Ad hoc autem, quod disiunctiva sit vera, sufficit veritas alterius partis. Ad hoc autem, quod conditionalis sit vera, non exigitur veritas suarum partium, sed solum quod cum sit antecedens, sit consequens. Et est *antecedens* pars illa, quae immediate sequitur coniunctionem consecutivam; *consequens* autem est altera pars.

De aequipollentiis <in eodem sermone>

1.6 Dictum est superius quod debet iudicari enuntiatio universalis vel particularis a natura signi additi suo subiecto. Sed quia ita est, quod universale signum per additionem negationis recipit virtutem alterius signi et per diversam additionem diversam virtutem, restat videre: Quae appositio negationis quam facit virtutem in signo?

1. 'Nullus' aequipollet 'omnis non,' 'non aliquis'

1.6.1 Sciendum est igitur, quod si negatio apponitur signo universali affirmativo ex parte post, ut haec: 'Omnis homo non currit' vel particulari ex parte ante, facit utrumque aequipollere signo universali negativo.

Quod potest sic patere: Hoc signum 'omne' significat praedicatum cum suis dispositionibus inesse cuilibet parti subiecti. Ergo cum sequitur praedicatum cum negatione, significabit ipsum negatum inesse cuilibet parti subiecti, et sic ipsum secundum se removeri a qualibet parte. Et sic aequipollet signo universali negativo.

Item. Si dicatur: 'Omnis homo non currit,' patet, quod haec est universalis per signum et negativa. Ergo ut prius.

Item. Patet, quod 'non aliquis' aequipollet ei, quod est 'nullus,' quia 'ullus' et 'aliquis' aequipollent; ergo eodem apposito, aequipollebunt, ut haec: 'Non aliquis,' 'non ullus'; ergo 'nullus.'

Item. Ei, quod est 'aliquis,' contradicit 'non aliquis' et similiter 'nullus.' Ergo idem sunt, quia duo eidem non contradicunt.

Item. Si haec est vera: 'Non aliquis homo currit,' tunc haec est falsa: 'Aliquis homo currit.' Et si hoc, praedicatum removetur a quolibet singulari, ut patet ex dictis. Et sic aequipollet universali negativo.

(1.6) 3 Cf. § 1.4.2.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

2. 'Omnis' aequipollet 'non aliquis non,' 'nullus non'

1.6.2 Signo autem universali affirmativo aequipollet signum universale negativum cum negatione postposita et signum particulare cum duplici negatione una praeposita et altera postposita.

Cuius probatio est haec: Signum universale negativum significat praedicatum cum suis dispositionibus remotum a qualibet parte subiecti. Cum ergo sequatur negatio et neget praedicatum, oportebit praedicatum negatum seu negationem praedicati removeri a qualibet parte subiecti et sic praedicatum affirmatum seu affirmationem praedicati convenire cuilibet parti subiecti et sic aequipollet signo universali affirmativo.

Item. Prima negatio cadit supra praedicatum negatum. Ergo removet ipsum pro qualibet parte. Ergo significat suum oppositum, scilicet praedicatum affirmativum convenire subiecto pro qualibet parte. Et sic tertium aequipollet [3v] universali affirmativo.

Item. Manifestum est, quod signum particulare cum negatione praeposita aequipollet signo universali negativo, ut patet per iam praedicta. Quod si utrique postponitur alia negatio, adhuc aequipollebunt, quia eidem eodem apposito totum manet idem. Et sic cum universalis negativa cum negatione postposita aequipollet universali affirmativo, patet, quod particularis cum negatione praeposita et postposita aequipollebit eidem.

Et iterum. 'Aliquis non' et 'omnis' contradicunt et similiter 'aliquis non' et 'non aliquis non.' Ergo 'omnis' et 'non aliquis non' eadem sunt secundum rem, quia eidem quaecumque contradicunt eadem sunt.

3. 'Aliquis' aequipollet 'non omnis non,' 'non nullus'

1.6.3. Item. Particulari affirmativo aequipollet universale negativum cum negatione praeposita.

Cuius ratio est haec: 'Nullus' et 'aliquis' contradicunt. Similiter 'nullus' et 'non nullus.' Ergo 'non nullus' et 'aliquis' idem, quia contradicunt eidem. Eadem ratione 'aliquis' et 'non omnis non' eadem sunt, quia contradicunt ei, quod est 'omnis non.' Et quod hoc signum 'aliquis' contradicat ei, quod est 'omnis non,' patet, quod 'omnis non' et 'nullus' idem sunt.

4. 'Aliquis non' aequipollet 'non omnis,' 'non nullus non'

1.6.4 Item. Signo particulari negativo, quale est 'aliquis non,' aequipollet signum universale affirmativum cum negatione praeposita et negativum cum negatione praeposita et postposita.

Cuius ratio est haec: 'non omnis' contradicit ei, quod est 'omnis.' Similiter 'aliquis non.' Ergo 'non omnis' et 'aliquis non' idem sunt.

Item. 'Non nullus' et 'aliquis' aequipollent. Ergo eodem apposito aequipollebunt. Ergo 'non nullus non' et 'aliquis non' aequipollebunt.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Sciendum ergo, quod quodlibet signum aequipollet suo contradictorio cum negatione praeposita. Similiter quodlibet signum aequipollet suo subalterno cum negatione praeposita et postposita. Similiter omne signum universale aequipollet suo contrario cum negatione postposita.

Et omnia iam dicta possunt retineri in his versibus:

Aequivalent 'omnis,' 'nullus non,' 'non aliquis non.'
'Nullus,' 'non aliquis,' 'omnis non' aequiparantur.
'Quidam,' 'non nullus,' 'non omnis non' sociantur.
'Quidam non,' 'non nullus non,' 'non omnis' adhaerent.

Vel hoc versu:

Prae contradicit, post contrariatur,
prae postque subalternantur.

<De aequipollentiis in diversis sermonibus>

1.6.5 Item. Sciendum, quod si duo signa sint in una locutione, quorum primum sit universale, tunc primum aequipollet contrario et secundum suo contradictorio. Et hoc dico, si primum extendit se ad secundum.

Cuius ratio est haec: Si primum sit *universale affirmativum*, significabit praedicatum cum altero signo convenire cuilibet parti subiecti. Ergo significabit praedicatum cum contradictorio signi sequentis removeri a qualibet parte subiecti, ut haec: 'Omnis homo nullus asinus est.' Haec aequipollet huic: 'Nullus homo aliquis asinus est.' Similiter: 'Omnis homo aliquod animal est' aequipollet huic: 'Nullus homo nullum animal est.' Et haec similiter: 'Omnis homo aliquod animal non est' aequipollet huic: 'Nullus homo omne animal est.'

Et similiter, si primum signum sit *universale negativum*, tunc enim significabit ipsum praedicatum cum suo signo removeri a qualibet parte subiecti, et sic ipsum praedicatum cum opposito convenire cuilibet parti subiecti. Et tunc aequipollebit signo universali affirmativo, ut haec: 'Nullus homo aliquis asinus est' aequipollet huic: 'Omnis homo nullus asinus est.' Et similiter haec: 'Nullus homo omne animal est' aequipollet huic: 'Omnis homo aliquod animal non est.' Et similiter haec: 'Nullus homo aliquod risibile non est' aequipollet huic: 'Omnis homo omne risibile est.'

Sic ergo patet aequipollentia signorum ad invicem, sive in eodem sermone [4r] fuerint sive in diversis.

<De enuntiatione modali>

1.7 Cum intentio sit de enuntiatione propter syllogismum, consideranda est sub differentiis, in quibus differentiam facit in syllogismo. Quales sunt haec: affirmativum, negativum, universale, particulare, modale de inesse et aliae huiusmodi. Differt enim syllogismus a syllogismo per has differentias.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Consideremus igitur enuntiationem per hanc divisionem alia de inesse, alia modalis. Est igitur *de inesse*, quae simpliciter significat inhaerentiam praedicati cum subiecto. Et hoc est non determinando, qualiter inhaereat. *Modalis* autem est, quae determinat inhaerentiam praedicati cum subiecto. Id est, quae dicit, qualiter praedicatum inhaereat subiecto. Et est haec divisio per naturam compositionis.

Et quia hoc ultimum membrum plus habet difficultatis, considerandum est de ipso. Et primo secundum se considerando, deinde comparando unam modalem ad aliam. Et secundum se primo consideranda est modalis enuntiatio secundum suam substantiam, deinde secundum suas dispositiones.

<Secundum suam substantiam>

Et ut cognoscatur eius substantia, oportet scire: (1) Quid sit modus? et (2) Qualiter modus faciat propositionem modalem?

1.7.1 Modus igitur dicitur communiter et proprie. *Communiter* sic: Modus est determinatio alicuius actus. Et secundum hoc convenit omni adverbio. *Proprie* sic: Modus est determinatio praedicati in subiecto, ut hic patet: 'Homo necessario est animal.' Determinatur enim hic, quomodo praedicatum inhaereat subiecto. Si autem diceretur: 'Homo currit velociter,' solum determinatur actus verbi secundum se et non inhaerentia eius cum subiecto. Unde a talibus non dicitur propositio modalis.

Modi autem sunt sex, scilicet verum, falsum, possible, impossibile, contingens, necessarium. Sed quia duo primi non faciunt propositionem modalem, differentem ab enuntiatione de inesse, ideo illi omittantur. Idem enim est dicere: 'Socrates currit' et 'Socrates currere est verum.' Si enim Socrates currere falsum est, et Socrates non currit.

Iuxta alios quattuor modos sumuntur modi adverbiales isti, scilicet possibiliter, impossibiliter, contingenter et necessario. Et adhuc iuxta hunc modum necessarium sumitur propositio cum suo casuali loco modi, ut haec: 'Homo de necessitate est animal.' Unde quattuor sunt modi principales.

Et sciendum, quod *impossibile* dicitur duobus modis: (1) uno modo, quod non potest nec poterit nec potuit esse verum, et est impossibile per se, ut: 'Homo est asinus.' (2) Alio modo, quod non potest nec poterit esse verum, potuit tamen, ut cum dicam: 'Ego non ambulavi.' Et est impossibile per accidens.

Et similiter dicitur *necessarium* (1) per se, quod non potest nec potuit nec poterit esse falsum, ut: 'Deus est.' (2) Necessarium autem per accidens est, quod non potest nec poterit esse falsum, potuit tamen, ut: 'Ego ambulavi.'

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Item. *Possibile* et *contingens* dupliciter dicuntur: (1) Uno modo solum de his, quae possunt habere veritatem et falsitatem, et tunc dicuntur *proprie*. (2) Alio modo dicuntur *communiter* et dicuntur de omni, quod potest habere veritatem, sive sit necessarium sive non. Et hoc ultimo modo dicuntur hic.

Qualiter modi adverbiales faciunt propositionem modalem

1.7.2 His habitis restat videre: Quomodo modus faciat propositionem modalem? Sciendum igitur, quod modi adverbiales dupliciter possunt poni in sermone, scilicet determinando ipsum *actum verbi* in se vel *inhaerentiam praedicati* cum subiecto. Verbi gratia: 'Socrates currit contingenter.' Haec dictio 'contingenter' potest determinare ipsum actum secundum se. Et tunc is est sensus: 'Cursus contingens inest Socrati.' Et sic non est modalis. Vel potest determinare ipsum verbum propter inhaerentiam [4v] suam vel compositionem. Et tunc is est sensus: 'Haec compositio est contingens: Socrates currit.' Et sic est modalis, quia determinat actum praedicati in subiecto.

Similiter est haec: 'Anima Antichristi necessario erit.' Si enim modus determinat actum verbi propter suam compositionem, tunc est modalis. Et is est sensus: 'Haec compositio est necessaria: "Anima Antichristi erit" est falsa.' Si autem determinat actum verbi secundum se, tunc is est sensus: 'Esse necessarium convenit animae Antichristi.' Et sic non est modalis, et sic est vera. Sic etiam est in aliis modis.

Qualiter modi nominales faciunt propositionem modalem

1.7.3 Modi autem nominales sic veniunt in sermonem, ut si dicam: 'Socratem currere est contingens.' Et dicit Aristoteles, quod sicut in illis de inesse res subiciuntur, esse autem vel non esse praedicatur, sic in his de modo esse vel non esse subicitur. Modi autem sunt appositiones, id est praedicata. Et tunc videtur, quod hoc dictum 'Socratem currere' sit subiectum et modus praedicatum.

Sed videtur secundum hoc, quod non sit modalis, quia sicut non est enuntiatio exceptiva, ubi praedicatur dictio, significans exceptionem; similiter nec exclusiva, ubi praedicatur dictio, significans exclusionem. Sicut non est modalis, ubi praedicatur dictio, significans modum.

Item. Praedicatum naturaliter est prius compositione, dispositio compositionis naturaliter est post compositionem. Sed non potest idem esse prius et posterius eodem. Ergo non potest praedicatum esse dispositio compositionis. Ergo non potest facere propositionem modalem.

(1.7) 70 Aristoteles, *Perihermenias* 12 (21b26–30).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et potest dici, quod in talibus sermonibus duplex est compositio, una inter infinitum et suum suppositum et alia inter dictum totum et modum. Et potest modus modificare primam, cum praedicatur de ipsa; secundam non, per praedictas rationes.

Contra: Non a modificatione cuiuslibet compositionis est enuntiatio modalis, sed a principali. Si enim dicam 'Deum necessario esse est scitum a me,' nullus dicit hanc esse modalem, licet modificetur compositio, quae est in dicto. Ergo si in modalibus modificetur principalis compositio, et modificetur compositio dicti, sicut responsum est. Ergo illa compositio erit principalis. Ergo sua extrema, scilicet infinitum et suum suppositum, erunt subiectum et praedicatum. Ergo non modus praedicatur.

Ad hoc dicendum, quod huiusmodi orationes secundum formam sermonis et secundum constructionem habent pro subiecto ipsum dictum et modum pro praedicato. Et sic non debent dici modales. Nec vocat eas Aristoteles modales, sed de modo. Alio modo, si consideremus rem significatam, dicemus, quod subiectum dicti est principale subiectum, et quod praedicatum eius est principale praedicatum, et quod modus est illius compositionis dispositio. Et sic sunt modales. Si enim dicam 'Socratem currere est contingens,' idem est secundum rem, ac si dicerem: 'Socrates contingenter currit.'

Patet ergo, qualiter isti modi faciunt propositionem modalem, quia cum praedicentur modi secundum formam loquendi et secundum constructionem, non sunt modales; secundum rem modificant compositionem dicti, cuius subiectum est principale subiectum et praedicatum principale praedicatum.

Et huiusmodi propositiones uno modo, scilicet secundum rem, sunt modales, alio modo non, scilicet secundum constructionem. Et ideo facit Aristoteles differentiam inter has et illas, quae simpliciter et omni modo sunt de inesse, qualis est haec: 'Omnis homo currit.' Praecipue quia quando huiusmodi propositiones, quae sunt de modo, veniunt in syllogismum, tunc accipiuntur, ut sint modales. Virtus enim syllogismi magis [5r] dependet a rerum conditione quam a modo construendi, ut patebit. Et sic cum secundum rem sint modales, erunt in syllogismo, ut sint modales.

Ex praedictis possunt modales cognosci secundum suam substantiam.

<Secundum suas dispositiones>
De qualitate modalium

1.7.4 Restat videre de suis dispositionibus scilicet: (1) Quomodo sint negativae? et (2) Cuius quantitatis sint? Dicit Aristoteles, quod in talibus referenda est negatio non ad praedicatum dicti, sed ad modum. Sic 'Socratem currere non est contingens.'

Sed contra: Praedicatum dicti uno modo est principale praedicatum. Ergo secundum hoc debet negatio ferri ad ipsum, ut si dicatur: 'Socratem non currere est contingens.'

(1.7) 96 Cf. Aristoteles, *Perihermenias* 12–13, *Analytica priora* I 3, 8–22.
(1.7) 108 Cf. Aristoteles, *Perihermenias* 12–13, *Analytica priora* I 3, 8–22.
(1.7) 119 Aristoteles, *Perihermenias* 12 (21b23–26).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et dicendum, quod si consideretur subiectum secundum formam loquendi, debet negatio ferri ad modum. Si autem consideretur secundum rem, tunc ad praedicatum dicti debet ferri, sed includendo sub se modum, ut si dicatur: 'Socratem non currere est contingens.' Et primo modo intelligit Aristoteles.

De quantitate modalium

1.7.5. Sequitur videre: Quantae sint huiusmodi propositiones? Et videtur secundum Aristotelem, quod sunt singulares. Dictum enim subicitur, quod est singulare et de uno solo praedicabile.

Sed contra: Ex hac 'Omnem hominem currere est contingens' et ex singulari fit syllogismus. Sed non est syllogismus sine universali. Ergo ista est universalis.

Ad hoc patet responsio. Cum enim quantitas attenditur penes subiectum et in omnibus talibus est subiectum duplex, potest in omnibus talibus esse duplex quantitas. Si enim consideretur dictum ut subiectum, sunt omnes singulares. Si autem consideretur subiectum dicti, quod est secundum rem subiectum, quaedam sunt universales, quaedam particulares, quaedam indefinitae, quaedam singulares.

<Comparando unam modalem ad aliam>
De aequipollentia modalium

1.7.6 Restat considerare comparationem modalium ad invicem secundum consequentiam. Sciendum igitur, quod hi duo modi, possibile et contingens, convertuntur. Hi autem contradicunt ei, quod est impossibile, et consequuntur ad necessarium, et non convertitur. Unde quasi subalternantur et convertuntur illi. Isti autem modi, impossibile et necessarium, sunt contraria.

Sed quia potest unusquisque istorum modorum sumi quadrupliciter (scilicet sine negatione vel cum negatione) et hoc dupliciter (scilicet aut cum una aut cum pluribus) et cum una dupliciter (scilicet aut ante aut post), potest unusquisque istorum modorum alteri quattuor modis fieri aequipollens et oppositus:

(1) Omnis enim modus aequipollet suo contradictorio cum negatione praeposita et suo subalterno cum negatione duplici.

(2) Item. Modus cum negatione sequente aequipollet contrario suo cum duplici negatione, suo subalterno cum una praecedente.

(3) Item. Modus cum negatione praecedente aequipollet suo contradictorio et suo subalterno cum negatione sequente.

(4) Item. Modus cum duplici negatione aequipollet suo contradictorio cum unica sequente et suo subalterno simpliciter.

(1.7) 132 Cf. Aristoteles, *Perihermenias* 12 (21b29–30).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Unde quattuor sunt ordines: <*Exemplum primae lineae*:> Possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse, non necesse est non esse. *Exemplum secundae lineae*: Possibile est non esse, contingens est non esse, non impossibile est non esse, non necesse est esse. *Exemplum tertiae*: Non possibile est esse, non contingens est esse, impossibile est esse, necesse est non esse. *Exemplum quartae*: Non possibile est non esse, non contingens est non esse, impossibile est non esse, necesse est esse.

Est ergo *primus* ordo *ad secundum* per subcontrarietatem, et *tertius ad quartum* per contrarietatem, et *primus ad tertium* contradictoriae, et *secundus ad quartum* contradictoriae, et *primus ad quartum* ut subalternatum ad subalternans, et similiter *secundus ad tertium.*

Et possunt haec retineri per hos versus:

Sit tibi linea subcontraria prima secundae.
Tertio est quarto semper contrarius ordo.
Tertius est primo contradictorius ordo.
Pugnat cum quarto, contradicendo, secundus.
Prima subest quartae, vice particularis habens se.
Haec habet ad seriem se lege secunda sequentem. [5v]

Et haec omnia patent in figura. Posset tamen figura aliter ordinari, ut ordines contrarii ponerentur in prima linea, quae est superior, et subcontrarii in inferiori. Sed iste magis competit modo Aristotelis.


Non possibile est non esse. Non contingens est non esse. Impossibile est non esse. Necesse est esse
Contrariae
Non possibile est esse. Non contingens est esse. Impossibile est esse. Necesse est non esse
Contradictoriae
Contradictoriae
Subalternae
Possibile est esse. Contingens est esse. Non impossibile est esse. Non necesse est non esse
Subcontrariae
Possibile est non esse. Contingens est non esse. Non impossibile est non esse. Non necesse est esse

(1.7) 182 figura] cf. Kr 49 not. 93

(1.7) 184 Cf. Aristoteles, *Perihermenias* 13 (22a23–31).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Cuicumque attribuitur possibile, eidem attribuitur contingens, sive sit affirmativa propositio sive non. Ab eodem removetur impossibile. Ab eius opposito removetur necesse. Et ista *regula* continet primum et secundum ordinem.

Alia *regula* est, quae continet tertium et quartum ordinem. Et est talis: A quocumque removetur possibile ab eodem removetur contingens. Eidem attribuitur impossibile, eius opposito addatur necesse.

II

<DE PRAEDICABILI>

Intendentes de praedicabili, primo videamus: Quid sit praedicabile? Deinde: Quomodo dividitur?

<De definitione praedicabilis>

2.0.1 Sicut ergo praedicatum est, quod de altero dicitur, ita praedicabile est, quod est de altero dicibile. Praedicabile autem dicitur communiter et proprie. *Communiter* dicitur praedicabile omne, quod mediante hoc verbo 'est' potest alii adiungi, sive sit commune sive individuum; *proprie* praedicabile solum est commune.

<De divisione praedicabilis>

2.0.2 Et est *individuum*, quod de uno solo est praedicabile, ut est nomen proprium et pronomen et dictio communis cum pronomine. Dicitur enim 'individuum,' eo quod non dividitur in partes subiectivas.

Commune autem et *universale* idem sunt. Dicitur enim 'commune,' quia unit multa simul, id est in unam naturam; 'universale' autem, quod plura vertit in unum, quale est hoc nomen 'homo.'

Universale autem sic definitur: Universale est, quod est dicibile de pluribus ad differentiam individui. Dividitur autem sic universale: aliud genus, aliud species, aliud differentia, aliud proprium, aliud accidens.

De genere

2.1.1 Est autem genus, quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid est.

Et hoc, quod dico 'quod praedicatur de pluribus,' ponitur loco generis in hac definitione, et est idem, quod universale. Hoc membrum vero 'differentibus specie' ponitur ad differentiam speciei et proprii, quae non

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

praedicantur de pluribus differentibus specie, id est de pluribus specibus. Hoc autem membrum 'in eo quod quid' ponitur ad differentiam differentiae et accidentis, quae non praedicantur in Quid, sed in Quale. Illud enim praedicatur in Quid, quod respondetur ad quaestionem factam per: 'Quid?'. Verbi gratia, 'animal' praedicatur de pluribus speciebus — quia de homine, asino — et in eo quod quid. Si enim dicatur: 'Quid est homo?', bene respondetur: 'Animal.'

De specie

2.1.2 Species autem est, quod praedicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.

Et hoc membrum 'quod praedicatur' est loco generis in hac definitione. Hoc membrum 'differentibus numero' ponitur ad differentiam generis, quod praedicatur de pluribus speciebus et non de pluribus differentibus numero, id est individuis primo dico. Sed mediante specie, similiter nec proprium. Hoc autem membrum 'in eo quod quid' ponitur ad differentiam differentiae et accidentis, sicut prius. Verbi gratia, 'homo' praedicatur de pluribus differentibus numero, id est individuis primo. Sic nec 'animal' quod est genus nec 'risibile' quod est proprium. Utrumque enim per prius praedicatur [6r] de homine. Et praedicatur in eo quod quid. Quaestioni enim: 'Quid est Socrates?', bene respondetur: 'Homo.'

Definitur autem species sic: Species est, quod ponitur sub genere. Et etiam sic: Species est, de qua genus in eo, quod quid est, praedicatur, ut haec: 'Species homo directe est sub hoc genere animal.'

Species sic dividitur: Alia est species specialissima, alia subalterna. Et in hoc patet divisio generis, scilicet quod aliud generalissimum, aliud subalternum. *Species specialissima* est, quae ita est species, quod non genus, sicut homo. Et huic competit prima definitio. *Species subalterna* est, quae uno modo est species et alio modo genus, sicut patebit. Et ad hanc extenduntur duae sequentes definitiones. *Genus generalissimum* est, quod est genus. *Genus subalternum* est, quod est genus et species respectu tamen diversorum.

Verbi gratia, talis est ordo in praedicamento substantiae, quod in supremo loco ponitur substantia et sub ipso corpus, sub corpore corpus animatum, sub corpore animato animal, sub animali animal rationale, sub animali rationali homo, sub homine Socrates.

Et est substantia generalissimum, quia non habet superius genus. Homo autem specialissima, quia non habet speciem inferiorem. Intermedia sunt subalterna et sunt genera respectu inferiorum, species vero respectu superiorum.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624



De differentia

2.1.3 Differentia autem dicitur tribus modis: communiter, proprie et magis proprie. *Communiter* dicitur differentia omnis forma, per quam res differunt, sive sit substantialis sive accidentalis. Secundum quod potest dici, quod albedo est differentia hominis albi respectu nigri.

Proprie dicitur differentia, quod facit res differre per formam substantialem vel per accidens inseparabile. Et secundum hoc potest dici, quod albedo est differentia cigni respectu nigri.

Magis proprie dicitur differentia solum, quae facit differre in forma substantiali. Secundum hoc dicitur, quod rationale est differentia hominis respectu asini. Et haec ultimo modo est differentia species universalis.

Definitur autem differentia sic: Differentia est, quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quale.

Et hoc membrum 'quod praedicatur' est loco generis. Per hoc membrum 'differentibus specie' separatur differentia a proprio et specie. Et per ultimum membrum a genere et accidente. Cum enim qualitas sit duplex, scilicet essentialis et accidentalis, sumitur hic 'quale' pro Quali essentiali. Genus autem praedicatur in Quid et accidens in Quale accidentale.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Definitur autem sic: Differentia est, qua abundat species a genere. Forma enim speciei constituitur ex genere et differentia.

Definitur etiam sic: Differentia est, quod aptum natum est dividere ea, quae sunt sub eodem genere. Verbi gratia, in hac specie 'homo' est hoc genus 'animal' et istae differentiae 'rationale mortale,' et sic per illas abundat homo ab animali. Haec autem dividunt hominem ab asino et ab animali immortali, quae omnia sunt sub eodem genere 'animal.'

Dividitur autem sic differentia, alia *divisiva*, alia *constitutiva*. Et notandum, quod eadem potest esse divisiva et constitutiva. 'Rationale' enim constituit hominem et dividit animal.

De proprio

2.1.4 Proprium est, quod soli speciei et toti et semper convenit, ut 'risibile' toti homini convenit et soli et semper. Quamvis enim homo non semper rideat, tamen semper est risibile.

De accidente

2.1.5 Accidens est, quod adest et abest praeter subiecti corruptionem, id est quod advenit subiecto — et intellige subiecto praeexistenti — et abest praeter eiusdem corruptionem. Verbi gratia, 'album' advenit homini, ipso praeexistente, et ab eodem removetur sine corruptione.

Dividitur autem sic accidens: [6v] aliud separabile, aliud inseparabile. *Separabile* est, sine quo subiectum esse potest, ut 'album' accidit homini. *Inseparabile* autem est, sine quo subiectum esse non potest, sicut accidit albedo cigno.

Et intellige, quod quamvis cignus non potest esse sine albedine, tamen est albedo ei accidens, quia si ponitur, quod cignus deveniat niger, tamen cignus remanet cignus. Quod non eveniret, si albedo esset de essentia cigni et non eius accidens. Sicut si ponemus cignum esse inanimatum, cignus non remanebit cignus. Et hoc est, quia animatum est substantiale et non accidentale.

Haec de his sufficiant.

III

<DE SYLLOGISMIS>

Dicturi de syllogismo, de quo est principalis intentio logicae, primo dicamus eius definitionem, deinde quot modis potest fieri.

<De definitione syllogismi>

3.0.1 Est igitur syllogismus oratio, in qua, quibusdam positis, necesse est aliud evenire ab his et propter haec.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et nota, quod 'oratio' non dicitur hic indicativa vel imperativa vel optativa vel coniunctiva vel interrogativa, sed congeries orationum, ut haec: 'Omnis homo est animal. Omne risible est homo. Ergo omne risibile est animal.' Hoc membrum 'quibusdam' apponitur, ut excludamus orationes multiplices, quales sunt fallaciae in dictione, quae non faciunt propositionem unam, sed multiplicem. Et debet glossari 'quibusdam,' scilicet unis.

'Positis,' id est, dispositis in modo et in figura. Et sic excluduntur inutiles coniugationes, ut patebit.

Per hoc membrum 'necesse est evenire' excluduntur fallaciae extra dictionem omnes, praeter petitionem principii et non causam ut causam. Nihil enim inferunt de necessitate. Per hoc membrum 'aliud ab his' excluditur petitio principii, ubi non sequitur aliud a praemissis. Hoc membrum 'propter haec' excludit non causam ut causam, ubi conclusio non accidit propter omnia praemissa. Et haec omnia possunt interpretari exemplo.

<De divisione syllogismi>

3.0.2 Syllogismus sic dividitur: alius perfectus, alius imperfectus. *Perfectus* est, qui habet in se manifestam causam suae necessitatis. *Imperfectus* est, qui immanifestam causam suae necessitatis habet. Et haec patebunt inferius. Syllogismus ergo imperfectus indiget, ut reducatur ad perfectionem, ut pateat sua necessitas. Hoc autem fit per conversionem propositionum. Ideo necesse est cognoscere eam.

<De conversione propositionum>

3.0.3 Est igitur [7r] conversio factio praedicati de subiecto, et e converso.

Conversio autem triplex: per se, per accidens, per contrapositionem. *Conversio* est *per se*, quando convertitur, manente eadem qualitate et quantitate. Sic convertitur universalis negativa et particularis affirmativa. Sequitur enim: 'Nullus homo est asinus; ergo nullus asinus est homo.' Item: 'Quidam homo est animal; ergo quoddam animal est homo.' Et manet utrobique eadem qualitas et quantitas.

Conversio per accidens est, quando fit conversio, manente eadem qualitate et non quantitate. Sic convertitur universalis affirmativa, ut: 'Omnis homo est animal; ergo quoddam animal est homo.' Sed manet eadem qualitas et non quantitas.

Conversio per contrapositionem est, quando fit conversio, manente eadem qualitate et quantitate, sed terminis finitis factis infinitis.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et nota, quod *terminus finitus* est, qui profertur sub affirmatione, ut: 'homo' et 'animal'; *terminus infinitus* autem, qui profertur sub negatione, ut: 'non-homo,' 'non-animal.'

Sic convertitur *universalis affirmativa*, ut: 'Omnis homo est animal; ergo omne non-animal est non-homo.' Et *particularis negativa*, ut: 'Aliquis homo non est asinus; ergo aliquis non-asinus non est non-homo,' ille scilicet non-asinus, qui est homo. Sed *universalis negativa* non sic convertitur. Non enim sequitur: 'Nullus homo est asinus; ergo nullus non-asinus est non-homo.' Aliquis enim non-asinus est non-homo, ut leo.

Item. *Particularis affirmativa* secundum aliquos non convertitur per contrapositionem, ut si subiectum sit praedicabile de omni ente et de omni non-ente, ut si tale sit haec dictio 'intelligibile,' non sequitur: 'Aliquod intelligibile est homo; ergo aliquis non-homo est non-intelligibilis.' Omne enim non-homo est intelligibile. Sed in omni alio casu sic convertitur particularis affirmativa, ut: 'Aliquod animal est homo; ergo quidam non-homo est non-animal.'

Haec autem de conversione sufficiant.

<*De modis syllogismi*>

3.1 Redeamus ad principale et videamus, quot modis potest fieri syllogismus.

Sunt igitur in quolibet syllogismo duae *propositiones* ad minus, quia ex una non sequitur aliquid syllogistice.

Item. Oportet, quod illae propositiones participent aliquo *termino*. Aliter non sequeretur aliquid ex eis, ut nihil sequitur ex his: 'Omnis homo currit; Socrates disputat.' Sed ex his: 'Omnis homo currit; Socrates est homo,' quia in duabus propositionibus est terminus unus communicatus. Non erunt plures quam tres termini nec pauciores, quia propositiones non possunt participare duobus terminis. Tunc enim esset eadem propositio. Non sunt enim nisi duo termini in una propositione, scilicet subiectum et praedicatum. Est enim terminus, in quem resolvitur propositio. Erunt igitur in quolibet syllogismo tres termini.

Sicut est in aliis rebus, quod *figura* provenit ex dispositione terminorum — est enim figura clausio terminorum —, sic est in syllogismo. Non autem possunt pluribus modis variari, nisi tribus modis, scilicet quod medium sit subiectum in una propositione et praedicatum in alia, aut praedicatum in utraque, aut subiectum in utraque. Et ideo sunt tantum tres figurae: *Prima*, quando medium subicitur in una et praedicatur in altera. *Secunda*, quando praedicatur in utraque. *Tertia*, quando subicitur in utraque.

Et est *medium* in qualibet figura, quod bis sumitur ante conclusionem. Quod autem in prima figura praedicatur de medio, est *maior terminus* sive extremitas, et quod subicitur medio, est *minor*. Et dicitur *maior propositio*, in qua est maior terminus, et *minor propositio*, in qua est minor terminus.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et nota, quod in qualibet figura sunt aliquae coniugationes terminorum et propositionum, ex quibus sequitur aliqua conclusio. Et talis coniugatio dicitur *modus*. Est enim modus debita dispositio propositionum secundum qualitatem et quantitatem. Et sunt [7v] aliae coniugationes, ex quibus nihil sequitur, et dicuntur *inutiles coniugationes*.

Prima figura novem habet modos

3.1.1 In prima ergo figura sunt quattuor modi directe concludentes et quinque indirecte. Et est *directa* conclusio, quando concluditur maior de minori. *Indirecta* autem, quando e converso.

Primus ergo *modus* <bArbArA> primae figurae constat ex duabus universalibus affirmativis, concludentibus universalem affirmativam, ut hic: 'Omne B est A. Omne C est B. Ergo omne C est A.'

Necessitas huius patet per definitionem eius, quod est 'dici de omni.' Est enim 'dici de omni,' quando nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur praedicatum. Cum igitur hic: 'Omne B est A' sit 'dici de omni,' et sub B contingit sumere omne C, ut dicatur: 'Omne C est B,' de omni C praedicatur A. Et sequitur: 'C est A.'

Secundus modus <cElArEnt> constat ex universali negativa maiori et ex universali affirmativa minori, concludentibus universalem negativam, ut hic: 'Nullum animal est lapis. Omnis homo est animal. Ergo nullus homo est lapis.'

Et sequitur haec conclusio per virtutem eius, quod est 'dici de nullo.' Est enim 'dici de nullo,' quando nihil est sumere sub subiecto, de quo dicatur praedicatum. Cum ergo in hoc: 'Nullum animal est lapis' fit 'dici de nullo,' et sub eius subiecto potest sumi omnis homo, ut dicatur: 'Omnis homo est animal,' tunc de nullo homine dicetur 'lapis.' Et sequitur: 'Nullus homo est lapis.'

Sunt enim hi duo modi manifestissimi et syllogismi in his sunt perfecti. Et ideo praecedunt omnes alios et primus istorum ante secundum, sicut affirmatio ante negationem.

Tertius modus <dArII> constat ex universali affirmativa maiori et particulari affirmativa minori, concludentibus particularem affirmativam, ut hic: 'Omnis homo est substantia. Quoddam animal est homo. Ergo quoddam animal est substantia.'

Quartus modus <fErIO> constat ex universali negativa maiori et particulari affirmativa minori, concludentibus particularem negativam, ut hic: 'Nullus homo est asinus. Quoddam animal est homo. Ergo quoddam animal non est asinus.'

Et horum dictorum modorum necessitas patet in figura.

Quintus modus <bArAIpton> constat ex duabus universalibus affirmativis, concludentibus particularem affirmativam indirecte, ut hic: 'Om-

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

ne animal est substantia. Omnis homo est animal. Ergo quaedam substantia est homo.'

Concluditur minor de maiori. Iste syllogismus est imperfectus et reducitur in primum modum, in quo ex istis praemissis sequitur, quod 'Omnis homo est substantia.' Et quia hoc convertitur per accidens, sequitur: 'Quaedam substantia est homo.'

Sextus modus <cElAntE*s*> constat ex universali negativa maiori et ex universali affirmativa minori, concludentibus universalem negativam indirecte, ut hic: 'Nullum animal est lapis. Omnis homo est animal. Ergo nullus lapis est homo.'

Et quia universalis negativa convertitur simpliciter, sequitur: 'Nullus homo est lapis.'

Septimus modus <dAbItI*s*> constat ex universali affirmativa et particulari affirmativa, concludentibus particularem affirmativam indirecte, ut hic: 'Omnis homo est animal. Quaedam substantia est homo. Ergo quoddam animal est substantia.'

Hic reducitur in tertium. Conversa conclusione per se, fit tertius modus.

Octavus modus <fA*p*E*sm*O> constat es universali affirmativa maiori et ex universali negativa minori, concludentibus particularem negativam indirecte, ut hic: 'Omnis homo est animal. Nullus lapis est homo. Ergo quoddam animal non est lapis.'

Iste reducitur in quartum per conversionem maioris per accidens et minoris per se et per transpositionem illarum. Conversa enim maiore, habetur: 'Quoddam animal est homo.' Et conversa minore, habetur: 'Nullus homo est lapis.' Ex quibus transpositis sequitur conclusio praedicta in quarto modo.

Nonus autem *modus* <frI*s*E*s*O*m*orum> constat ex particulari affirmativa maiori [8r] et universali negativa minori, concludentibus particularem negativam indirecte, ut hic: 'Quidam leo est animal. Nullus homo est leo. Ergo quoddam animal non est homo.'

Iste reducitur in quartum. Conversa enim maiori particulari per se, id est simpliciter, et similiter minori, et ipsis transpositis, fit iterum quartus modus.

Secunda figura quattuor habet modos

3.1.2 Item. In secunda figura sunt quattuor modi.

Primus <cE*s*ArE> constat ex universali negativa maiori et ex universali affirmativa minori, concludentibus universalem negativam directe, ut hic: 'Nullus homo est lapis. Omnis margarita est lapis. Ergo nulla margarita est homo.'

(3.1) 95 negativa] *coniecit* Kr; *om.* P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et reducitur in secundum modum primae figurae per conversionem maioris propositionis.

Et est medium in hac, quod bis praedicatur in praemissis, maior, quod ei primo subicitur, et minor, quod secundo subicitur.

Secundus modus <cAmEstrEs> constat ex universali affirmativa maiori et universali negativa minori, concludentibus universalem negativam directe, ut hic: 'Omnis margarita est lapis. Nullus homo est lapis. Ergo nullus homo est margarita.'

Et reducitur in secundum modum primae figurae per conversionem conclusionis et minoris propositionis et transpositionem praemissarum.

Tertius modus <fEstInO> constat ex universali negativa maiori et particulari affirmativa minori, concludentibus particularem negativam, hoc modo: 'Nullus homo est lapis. Quaedam margarita est lapis. Ergo quaedam margarita non est homo.'

Et reducitur in quartum modum primae per conversionem maioris.

Quartus modus <bArOcO> constat ex universali affirmativa maiori et particulari negativa minori, concludentibus particularem negativam, ut hic: 'Omnis margarita est lapis. Quidam homo non est lapis. Ergo quidam homo non est margarita.'

Et reducitur in primum modum primae figurae per impossibile. Et est reducere per impossibile sumere alteram praemissarum cum opposito conclusionis et concludere oppositum alterius. Sumatur maior et oppositum conclusionis, hoc scilicet: 'Omnis homo est margarita,' et fiat syllogismus: 'Omnis margarita est lapis. Omnis homo est margarita. Ergo omnis homo est lapis.' Haec conclusio est oppositum minoris propositionis et fit primus modus primae figurae.

Tertia figura sex habet modos

3.1.3 In tertia figura sunt sex modi.

Primus modus <dArAptI> constat ex duabus universalibus affirmativis, concludentibus particularem affirmativam directe, ut hic: 'Omnis homo est animal. Omnis homo est substantia. Ergo quaedam substantia est animal.'

Et reducitur in tertium primae per conversionem minoris.

Secundus modus <fElAptOn> constat ex universali negativa maiori et universali affirmativa minori, concludentibus particularem negativam, ut hic: 'Nullus homo est asinus. Omnis homo est animal. Ergo quoddam animal non est asinus.'

Et ille reducitur in quartum primae per conversionem minoris.

(3.1) 121 primae] *coniecit* Kr; *om.* P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Tertius modus <dIsAmIs> constat ex particulari affirmativa maiori et universali affirmativa minori, concludentibus particularem affirmativam, ut hic: 'Quidam homo est animal. Omnis homo est substantia. Ergo quaedam substantia est animal.'

Et reducitur in tertium primae per conversionem maioris et conclusionis et per transpositionem praemissarum.

Quartus modus <dAtIsI> constat ex universali affirmativa et particulari affirmativa, concludentibus particularem affirmativam, ut hic: 'Omnis homo est animal. Quidam homo est substantia. Ergo quaedam substantia est animal.'

Et reducitur in tertium primae per conversionem minoris.

Quintus modus <*b*OcArdO> constat ex particulari negativa maiori et universali affirmativa minori, concludentibus particularem negativam, ut hic: 'Quoddam animal non est homo. Omne animal est substantia. Ergo quaedam substantia non est homo.'

Et reducitur in primum primae per impossibile, scilicet sumendo oppositum contradictoriae conclusionis cum minore, concludendo oppositum contradictoriae maioris, ita scilicet quod oppositum [8v] conclusionis sumatur loco maioris. Sumatur ergo oppositum conclusionis, hoc scilicet: 'Omnis substantia est homo' cum minore, hac scilicet: 'Omne animal est substantia.' Et sequitur oppositum contradictoriae maioris, hoc scilicet: 'Omne animal est homo.'

Sextus modus <fErIsOn> constat ex universali negativa et particulari affirmativa, concludentibus particularem negativam, ut hic: 'Nullus homo est asinus. Quidam homo est animal. Ergo quoddam animal non est asinus.'

Et reducitur in quartum primae per conversionem minoris.

3.2 Diversitas autem figurarum retinetur hoc versu:

Sub prae prima, bis prae secunda, tertia bis sub.

Modi autem et eorum reductiones retinentur his versibus:

bArbArA cElArEnt dArII fErIO
bArAlIpton cElAntEs dAbItIs fApEsmO frIsEsOmorum
cEsArE cAmEstrEs fEstInO *b*ArOcO
dArAptI fElAptOn dIsAmIs dAtIsI *b*OcArdO fErIsOn

In his versibus A significat propositionem universalem affirmativam, E universalem negativam, I particularem affirmativam, O particularem negativam, *s* conversionem per se, *p* conversionem per accidens, *m* transpositionem praemissarum, *b* et *r*, cum sint in eadem dictione, significant reductionem per impossibile.

(3.1) 149 primae] *coniecit* Kr; *om.* P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Duo primi versus deserviunt primae figurae. Quattuor autem dictiones tertii versus secundae figurae, et omnes aliae dictiones tertiae figurae.

3.3 Ex praedictis patet, quod in quattuor modis primae figurae reducuntur omnes alii. *Tertius* autem *primae figurae* potest reduci in secundum secundae. Et *quartus primae* in primum secundae per conversionem per impossibile. Et alii, scilicet *primus* et *secundus secundae*, ab his duobus modis, scilicet tertio et quarto primae, possunt reduci in secundum primae. Et sic in duos primos primae figurae reducuntur omnes alii.

Nota etiam, quod ex duabus negativis non sequitur aliquid, nec ex duabus particularibus. In *prima* autem non sequitur directe, maiore existente particulari vel minori negativa. In *secunda* autem non sequitur aliquid ex affirmativis. In *tertia* autem non sequitur aliquid, minori existente negativa.

Et haec de syllogismo sufficiant.

IV

<DE LOCIS>

<De divisione syllogismi>

4.0.1 Ad plenam syllogismi cognitionem non solum exigitur cognitio eius secundum definitionem, sed etiam secundum divisionem. Et sunt quaedam eius divisiones, quae docendae sunt, ubi agitur de syllogismo communiter, sicut hae: syllogismus alius perfectus, alius imperfectus; alius affirmativus, alius negativus; et huius modi aliae.

Quaedam vero separatim docendae sunt, sicut est ista: syllogismus alius demonstrativus, alius dialecticus, alius sophisticus. Et est *demonstrativus*, qui est ex necessariis et ex causis conclusionis certissimis, faciens scientiam. *Dialecticus* vero est ex probabilibus, faciens opinionem. *Sophisticus* autem ex apparenter probabilibus, vel ex probabilibus apparenter syllogizans, vel utroque modo, et est proprie ad gloriam vel ad victoriam.

<De dialectico syllogismo>

4.0.2 De ceteris omittentes, de dialectico intendimus. Quia vero dialecticus est ex probabilibus, probabilitatem autem habet ex locis, propterea de his est determinandum.

Est ergo locus proprie dictus in naturalibus illud, quod rem continet et a quo possibile est rem elici. Ad cuius similitudinem *locus dialecticus*, qui sic definitur: Locus est sedes argumenti vel id, a quo conveniens elicitur argumentum. Et haec definitio post patebit.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Dividitur autem locus sic: alius maxima, alius differentia maximae. *Locus maxima* est nota propositio et communis, multa continens [9r] et confirmans argumenta, qualis est haec: 'De quocumque praedicatur species, et genus.' *Differentia maximae* est, quo differunt maximae ad invicem, quale est hoc, quod dico 'genus,' et hoc, quod dico 'species.'

Dividitur autem sic: alius intrinsecus, alius extrinsecus, alius medius. Et hoc sic intellige. Cum est dubitatio de aliqua propositione, primo formamus eam in quaestione, deinde invenimus medium et syllogizamus eam affirmative vel negative. Cum ergo elicitur argumentum a proprietate intranea alterius terminorum quaestionis, dicitur *locus intrinsecus.* Cum autem a proprietate extrinseca, dicitur *locus extrinsecus.* Cum autem a proprietate media, dicitur *locus medius.*

De locis intrinsecis

4.1 Locus intrinsecus (1) alius *a substantia.* Et haec est a definitione sumpta. Dico communiter pro definitione proprie dicta et descriptione et nominis interpretatione. (2) Alius *a concomitantibus substantiam.*

<De locis a substantia>

Locus autem a substantia, ut patet, dividitur in (1) locum a definitione et (2) a descriptione et (3) nominis interpretatione.

De loco a definitione

4.1.1 Est autem definitio oratio indicans, quid est esse rei, iuxta quam argumentatur constructive et destructive.

Constructive sic, quod medium sit definitio subiecti vel praedicati, ut hic: 'Animal rationale mortale currit; ergo homo currit.' *Maxima*: Quicquid praedicatur de definitione, et de definito.

Item. 'Socrates est animal rationale mortale; ergo Socrates est homo.' *Maxima*: De quocumque praedicatur definitio, et definitum.

Amplius. *Destructive* duplici modo. Verbi gratia: 'Animal rationale mortale non est asinus; ergo homo non est asinus.' *Maxima*: Quidquid removetur a definitione, et a definito.

Item. 'Brunellus non est animal rationale mortale; ergo Brunellus non est homo.' *Maxima*: A quocumque removetur definitio, et definitum.

Et est hic ubique locus a definitione, quia praedictae maximae a definitione exeunt.

Si obiciatur praedictis maximis sic: 'Animal rationale mortale' est definitio, non tamen 'homo' est definitio.

Dicendum, quod sic intelligendum est: Quidquid convenit definitioni secundum singula, et definito; et e converso.

Et notandum, quod tot modis contingit argumentari per locum a definito levi quadam mutatione maximarum.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

De loco a descriptione

4.1.2 Sequitur de loco a descriptione. Est autem descriptio, quod non indicat, quid est esse rei. Soli autem inest et conversim praedicatur de re.

Iuxta quam arguatur *constructive* dupliciter. Verbi gratia: 'Animal risibile currit; ergo homo currit.' *Maxima*: Quidquid praedicatur de descriptione, et de descripto.

Item sic: 'Socrates est animal risibile; ergo est homo.' *Maxima*: De quocumque praedicatur descriptio, et descriptum.

Destructive etiam dicitur duobus modis. Verbi gratia: 'Animal rudibile non est; ergo asinus non est.' *Maxima*: Quidquid removetur a descriptione, et a descripto.

Item: 'Terra non fertur sursum natura; ergo non est ignis.' *Maxima*: A quocumque removetur descriptio, et descriptum.

Tot etiam modis contingit argumentari per locum a descripto levi quadam mutatione maximarum.

De loco a nominis interpretatione

4.1.3 Sequitur de loco a nominis interpretatione. Est autem interpretatio nominis expositio nominis per idem idioma vel per aliud.

Iuxta quam arguitur tot modis quot iuxta praecedentes.

Primo *constructive* sic: 'Laedens pedem nocet; ergo lapis nocet.' *Maxima*: Quidquid praedicatur de interpretatione, et de interpretato.

Praeterea. 'Hic est laedens pedem; ergo hic est lapis.' *Maxima*: De quocumque interpretatio, et interpretatum.

Destructive etiam sic: 'Amans sapientiam non est invidus; ergo philosophus non est invidus.' *Maxima*: Quidquid removetur ab interpretatione, et ab interpretato.

Praeterea. 'Malus non est amans sapientiam; [9^{v}] ergo malus non est philosophus.' *Maxima*: A quocumque removetur interpretatio, et interpretatum.

Si obiciatur, quod interpretatio non convertitur cum interpretato.

Dicendum, quod dupliciter potest sumi oratio expositiva: vel (1) in quantum expositiva, et sic convertitur; aut (2) secundum se, et sic non convertitur.

Totiens argumentatur per locum ab interpretato levi mutatione maximarum.

Amplius. Si obiciatur maximis interpretationis et descriptionis, sicut et prius maximis definitionis.

(4.1) 48 constructive] *conieci*; *om.* P

(4.1) 53–54 Maxima - interpretato] *coniecit* Kr; *om.* P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Solvendum est sicut prius, dicendo maximas intelligendas: Quidquid praedicatur de descriptione, ita quod de singulari sub contento, praedicatur de descripto. Similiter est supplendum in aliis maximis.

De locis a concomitantibus substantiam

Sequitur de locis a concomitantibus substantiam. Qui sic dicuntur, quia sumuntur ab his, quae concomitantur substantiam subiecti vel praedicati problematis, ut totum universale, generatio et huiusmodi.

De loco a genere

4.1.4 Primus autem istorum est locus a genere sive a toto universali, cum genus sit pars formalis definitionis, quae indicat, quid est esse definiti. Materialis, scilicet pars enim indicat, ex quibus est definitum. Dicitur autem hic genus praedicatum substantiale superius. Unde differentia dicitur hic genus et species et definitio et proprium respectu individui.

Iuxta autem hunc locum argumentatur *destructive* solum sic: 'Homo non est quantitas; ergo homo non est linea.' *Maxima*: A quocumque removetur genus, et species.

Et reducitur sic in syllogismum in quarto secundae: 'Omnis linea est quantitas. Animal non est quantitas. Ergo animal non est linea.'

Aliter etiam destructive. 'Non animal currit; ergo non homo currit.' *Maxima*: Quidquid removetur a genere, removetur a specie.

Reducatur in secundum primae sic: 'Non animal currit. Omnis homo est animal. Ergo non homo currit.'

Hic obicitur, quod non tenet locus a genere, si sic argumentatur: 'Anima non currit; ergo homo non currit.' Non valet, cum praedicatur a superiori ad inferius negando, et sic locus a genere.

Dicendum, quod ubi est locus a genere, totum genus debet negari. Unde negatio debet praeponi. In hac autem: 'Animal non currit,' non negatur universaliter. Unde sic non est superius ad 'homo.' Quare non proceditur negando a superiore ad inferius, secundum quod regula intelligitur.

Praeterea. Si obicitur, quod est locus a toto in quantitate: 'Non animal currit; ergo non homo currit.'

Dicendum hoc esse verum, sed per consequens. Ampliatur autem nomen generis praedicto modo, quia eadem est virtus argumentandi ab uno superiori ad inferius et ab alio, sive sit genus sive non. Unde idem locus. Diversificatur enim locus praesens diversitate virtutis inferendi.

De loco a specie

4.1.5 Sequitur de loco a specie. Est autem species, quod supponitur generi. Ampliatur autem eadem ratione qua genus.

Iuxta quam argumentatur *constructive* solum ita, quod medium sit species subiecti conclusionis. Sic: 'Homo currit; ergo animal currit.' Locus a specie. *Maxima*: Quidquid praedicatur de specie, praedicatur de genere.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Reducatur in tertium tertiae figurae sic: 'Homo currit. Omnis homo est animal. Ergo animal currit.'

Vel ita, quod medium sit species praedicati conclusionis. Sic: 'Socrates est homo; ergo Socrates est animal.' Locus a specie. *Maxima*: De quocumque praedicatur species, et genus.

Et reducatur in tertium primae sic: 'Omnis homo est animal, Socrates est homo. Ergo Socrates est animal.'

Si obiciatur, quod contingit argumentari *destructive* solum per locum a specie sic: 'Homo non currit; ergo animal non currit.' [10r] Sequitur enim homine existente.

Dicendum, quod non argumentatur in hoc casu per locum a specie negative, quia genus non negatur secundum quod genus, sed solum pro eodem pro quo 'homo.'

Amplius. Probatur argumentari *constructive* per locum a genere et *destructive* per locum a specie sic: 'Animal currit; ergo homo currit vel bos etc.' Praeterea: 'Homo nec bos etc. currit; ergo non animal currit.'

Dicendum, quod utrobique argumentatur a pari sive descriptione.

De loco a toto integrali

4.1.6 Sequitur de loco a toto integrali. Totum enim integrale sequitur totum universale et posterius est in logica. Est autem huiusmodi totum, quod constat ex partibus integrantibus ipsum.

Iuxta quem argumentatur *constructive* solum. Itaque medium sit totum subiecti conclusionis. Sic: 'Domus est; ergo paries est.' Est locus ex toto integrali. *Maxima*: Quod convenit toti secundum partes proportionales et notabiles, convenit parti.

Non enim sequitur: 'Domus continet; ergo paries continet,' quia continere non convenit secundum naturam partis, sed per iuncturam partium. Nec sequitur: 'Domus videtur; ergo paries videtur.' Nec haec: 'Domus est alta; ergo fundamentum est altum.' Huiusmodi enim praedicata non conveniunt toti secundum partes singulares.

Praeterea. Potest aliquid convenire toti secundum partes minimas, ut lapillus domus, quod non conveniat parti ut parieti vel tecto vel fundamento, quae faciunt partes notabiles ipsius.

Et reducuntur argumenta iuxta hunc locum in tertium primae sic: 'Quaelibet pars domus, quia domus est, est. Paries est pars domus, quia domus est. Ergo paries est.'

Nec sequitur argumentum, si medium sit totum praedicati, sic: 'Haec est domus; ergo haec est paries.' Quia pars integralis et totum non sunt idem, ut definitio et definitum et genus et species.

A parte

4.1.7 A parte integrali arguitur *destructive* solum ita, quod medium sit pars subiecti conclusionis. Sic: 'Paries non est; ergo domus non est.'

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Locus a parte integrali. *Maxima*: Quod disconvenit parti, disconvenit toti.

Reducatur in quartum primae sic: 'Nullum totum, cuius aliqua pars non est, est. Domus est totum, cuius aliqua pars non est, cum paries non est. Ergo domus non est.'

De loco a toto in quantitate

4.1.8 Sequitur de loco a toto in quantitate. Totum enim in quantitate, cum consistat in numero, sequitur totum integrum.

Iuxta quem argumentatur *constructive* sic: 'Omnis homo currit; ergo Socrates currit.' Similiter: 'Nullus homo currit; ergo Socrates non currit.' Eadem enim virtus inferendi. *Maxima*: Quidquid convenit toti affirmative vel negative, convenit parti.

Et similiter reducantur in syllogismum sic: 'Omnis homo currit. Socrates est homo. Ergo Socrates currit.' Similiter: 'Nullus homo currit. Socrates est homo. Ergo Socrates non currit.'

A parte

4.1.9 A parte autem in quantitate argumentatur *destructive* sic: 'Socrates non currit; ergo non omnis homo currit.' *Maxima*: Quidquid disconvenit parti, disconvenit et toti.

Reducatur in quintum tertiae sic: 'Socrates non currit. Socrates est sub eo, quod est omnis homo. Ergo non omnis homo currit.'

Venit autem nomen quantitatis in nuncupationem istorum, quia maxime in his argumentatur virtute quantitatis et continentiae. Huiusmodi enim totum continet partes sub se, totum autem integrale continet partes in se.

De loco a toto in tempore

4.1.10 Sequitur de loco a toto in tempore, quod designatur adverbio uno affirmative: 'semper;' negative per adverbium: 'numquam.'

Iuxta quem [10v] argumentatur *affirmative* sic: 'Socrates semper currit; ergo Socrates nunc currit.' *Maxima*: Quod convenit secundum totum in tempore, convenit secundum partes.

Et reducitur in tertium primae sic: 'Semper currit Socrates. Nunc est sub eo, quod est semper. Ergo nunc currit Socrates.'

Contingit enim syllogizare ex obliquis et per terminos convertibiles, ut docet Aristoteles in libro *Priorum*.

(4.1) 169 currit] *add. in marg.*: Fac de hac minori universalem sic: 'Quidquid est Socrates, est sub eo, quod est omnis homo' P

(4.1) 183 Cf. Aristoteles, *Analytica priora* I 36 (48a40–49a5), II 22 (67b27–68a25).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

A parte

4.1.11 A parte autem in tempore argumentatur *destructive* sic: 'Socrates non nunc currit; ergo Socrates non semper currit.' Locus a parte in tempore. *Maxima*: Quod disconvenit secundum partem, disconvenit secundum totum.

Reducatur in quintum tertiae sic: 'Non nunc currit Socrates. Omne nunc est sub eo, quod semper. Ergo non semper currit Socrates.'

De loco a toto in loco

4.1.12 Sequitur de loco a toto in loco. Designatur autem totum in loco dicto universaliter affirmativo adverbio: 'ubique'; negativo: 'nusquam.'

Iuxta quem argumentatur *constructive* sic: 'Socrates est ubique; ergo Socrates est hic.' Locus a toto in loco. *Maxima*: Quid convenit secundum totum in loco, convenit secundum partem.

Reducitur in tertium primae sic: 'Ubicumque est Socrates. Hic est sub eo, quod est ubique. Ergo hic est Socrates.'

Similiter arguitur negative adverbio: 'nusquam.' Reducitur in quartum primae.

A parte

4.1.13 A parte in loco arguitur *destructive* sic: 'Socrates non est hic; ergo Socrates non est ubique.' *Maxima*: Quod non convenit secundum partem in loco, non convenit secundum totum.

Reducitur in quintum tertiae sic: 'Hic non est Socrates. Omne hic est sub eo, quod est ubique. Ergo ubique non est Socrates.'

Quaeratur: Quare assignantur diversi loci iuxta locum et tempus a Boethio, cum eadem sit virtus arguendi ab hoc, quod est in omni loco, et ab hoc, quod est ubique, et ab hoc, quod est semper, et ab hoc, quod est in omni tempore?

Dicendum hoc esse, quia locus et tempus sunt principium primum generationis non secundum quod mensurae, sed secundum quod naturae concordes his, quae insunt.

Praeterea. Dictione una naturaliter significantur, quia non dividuntur nisi secundum quid, nec fiunt plura nisi adverbialiter. Aut quia spectant ad motum designatum verbo.

(4.1) 199 reducitur] *coniecit* Kr; *om.* P

(4.1) 214 nisi] *coniecit* Geach (cf. Kretzmann 1968; ii); *om.* P

(4.1) 207 Boethius, *De differentiis topicis* II (PL 64.1189A–B).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

De loco a toto in modo

4.1.14 Iuxta locum a toto in modo argumentatur *destructive* solum. Est autem totum in modo verbum simpliciter dictum. Sic: 'Socrates non currit; ergo Socrates non currit bene.' *Maxima*: Quod non convenit secundum totum in modo, non convenit secundum partem.

Reducitur in quartum primae sic: 'Non currit Socrates. Bene currere est currere. Ergo non bene currit Socrates.'

A parte

4.1.15 A parte in modo, quod est verbum determinatum, arguitur *constructive* solum sic: 'Bene currit Socrates; ergo currit Socrates.' *Maxima*: Quod convenit secundum partem in modo, convenit secundum totum.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omne bene currere est currere. Socrates bene currit. Ergo Socrates currit.'

'De loco a causis

Sequitur de locis a causis, quia causae rei sequuntur praedicta in consideratione logici, in consideratione physici antecedunt.

Est autem causa, quod conducit ad esse. Materialis autem est principium, ex quo fit aliquid, cui insit. Dico autem 'cui insit' propter multiplicitatem huius praepositionis 'ex.' Notat enim quandoque *ordinem*, ut in hac: 'Ex mane fit dies,' id est, post; 'Ex Isthmiis fiunt Olympia.' Quandoque *materialem*, ut in hac: 'Ex ferro fit cultellus.'

Praeterea. Per hoc idem potest excludi materia transiens, ut filix est materia transiens vitri et farina panis, ferrum autem cultelli permanens.

De loco a causa materiali

4.1.16 Iuxta locum autem a causa materiali argumentatur *destructive*. Intelligitur autem de materia permanente. Sic: 'Mauri non habent ferrum; ergo non habent arma ferrea.' *Maxima*: Deficiente materia, deficit [11^{r}] materiatum.

Reducatur in quartum primae sic: 'Nulli non habentes ferrum habent arma ferrea. Mauri sunt non habentes ferrum. Ergo Mauri sunt non habentes arma ferrea.'

A materiato

A materiato autem argumentatur *constructive* sic: 'Mauri habent arma; ergo Mauri habent ferrum.' *Maxima*: Existente materiato, existit materia.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omnes habentes arma habent ferrum. Mauri sunt habentes arma. Ergo Mauri sunt habentes ferrum.'

(4.1) 233 cui] *coniecit* Gr; cum P

(4.1) 235 Isthmiis] *conieci* (cf. Aristoteles, *Metaphysica* 2 [994a23]); hiis P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

De loco a causa formali

4.1.17 Iuxta locum a causa formali argumentatur *destructive* secundum Boethium. Est autem forma, ut dicit Aristoteles, quae quid erat esse. Verbi gratia: 'Daedalus non habet pennas; ergo Daedalus non potuit volare.' *Maxima*: Tantum quisque potest, quantum sua forma naturalis permittit.

Reducitur in quartum primae sic: 'Nullum non habens pennas potuit volare. Daedalus non habuit pennas. Ergo Daedalus non potuit volare.'

Nec est hic locus a causa efficiente, cum res non efficiat suam potentiam. Non enim efficiunt potentiam volandi.

Potest tamen argumentari *destructive* et *constructive* per locum a causa formali et similiter de materiali. Verbi gratia: 'Mauri habent formam armorum; ergo Mauri habent arma.' *Destructive* etiam: 'Mauri non habent formam armorum; ergo Mauri non habent arma.' *Maxima*: Existente forma, existit formatum.

<A formato>

A formato autem arguitur sic *constructive*: 'Maurus habet arma; ergo Maurus habet formam armorum.' *Maxima*: Existente formato, existit forma.

Reducitur in tertium primae sic: 'Quilibet habens arma habet formam armorum. Maurus habet arma. Ergo Maurus habet formam armorum.'

Destructive etiam argumentatur.

De loco a causa efficiente

4.1.18 A causa efficiente arguitur *constructive* et *destructive*. Immediata dico; a mediata enim arguitur destructive solum. Est autem causa efficiens principium unde motus, ut dicit Aristoteles, ut a fabricante fabricatio. Verbi gratia: 'Congregatio hominum facit iustitiam. Et est naturalis. Ergo iustitia est naturalis.' *Maxima*: Qualis est efficiens, talis est effectus. Reducitur in tertium primae sic: 'Omnis congregatio hominum, iustitiam faciens, est naturalis. Iustitia est effecta ab hoc, quod est congregatio hominum, faciens iustitiam. Ergo iustitia est naturalis.'

Destructive sic: 'Natura non est; ergo motus naturalis non est.' *Maxima*: Non ente efficiente non est effectus.

Reducitur in tertium secundae sic: 'Non est natura. Motus naturalis est a natura. Ergo non est motus naturalis.'

(4.1) 254 Boethius, *De differentiis topicis* II (PL 64.1190A).

(4.1) 254 Aristoteles, *De generatione et corruptione* II 9 (335b35).

(4.1) 277 Cf. Aristoteles, *Metaphysica* I 3 (983a30) et passim.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<Ab effectu>

Ab effectu immediato dico argumentatur *constructive* et *destructive*. A mediato autem *destructive*, quod patet levi mutatione exemplorum praedictorum et suarum maximarum.

De loco a causa finali

4.1.19 Finis autem est, cuius gratia fiunt alia vel aliqua. Et sunt alius autem per se, alius per accidens. Sed iuxta finem per se intelligantur argumenta fieri.

Item. Finis alius intra, alius extra. *Finis intra* idem est quod forma rei. *Finis extra* est, cuius gratia fit res, ut gratia sanitatis fit potio. A fine igitur intra argumentatur sicut a forma, cum sit idem. A fine extra argumentatur *constructive* sic: 'Sanitas est bona; ergo potio est bona.' *Maxima*: Cuius finis bonus, ipsum totum bonum.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omnis sanitas est bona. Potio antecedit sanitati. Ergo potio est bona.'

Similiter argumentatur cum hac dictione: 'malum.' *Maxima*: Cuius enim finis malus, ipsum quoque malum.' Quare et *destructive* arguitur sic: 'Sanitas non est mala; ergo potio non est mala.'

Sed non sequitur: 'Potio est; ergo sanitas est'; nec e converso.

A finito

A finito autem finis argumentatur sicut a fine. [11v].

Sed notandum, quod non adeo proprie argumentatur a finito et a materiato et a definito et huiusmodi correspondentibus, sicut a fine et a materia etc., quia a notioribus arguitur ignotius; et non e converso. Et hac ratione dantur hi loci intelligi iuxta reliquos.

Patent argumenta a finito levi mutatione exemplorum et maximarum a fine.

Dicuntur autem loci a concomitantibus substantiam esse a causis, quia sese definiunt.

De loco a generatione

4.1.20 Generatio est ingressio in esse quodcumque sive substantiale sive accidentale, ut sanatio est motus in sanitatem. Denominatur omnis motus a termino, teste Aristotele in quinto *Physicorum*, cum iustum sit unumquodque a fine appellari, teste eodem in secundo *De anima*.

(4.1) 302 maxima] *supplevi*; *om.* P

(4.1) 319 Aristoteles, *Physica* V 1 (224b7).
(4.1) 320 Aristoteles, *De anima* II 4 (416b23–24).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Iuxta locum a generatione argumentatur *constructive* et *destructive* sic: 'Sanatio est bona; ergo sanitas est bona.' *Maxima*: Quod convenit generationi secundum naturam generati, convenit generato.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omnis sanatio est bona. Sanitas est terminus sanationis. Ergo sanitas est bona.' Vel aliter, ut sit medium terminum et evidentius: 'Omnis terminus sanationis, cum sanatio sit bona, est bonus. Sanitas est terminus etc. Ergo sanitas est bona.'

Hoc autem, quod apponitur medio, habetur ex virtute maximae *destructive* sic: 'Sanatio non est mala; ergo sanitas non est mala.' *Maxima*: Quod removetur a generatione secundum naturam generati, non convenit generato.

Reducitur in quartum primae sic: 'Nulla sanatio est mala. Sanitas est terminus sanationis. Ergo sanitas non est mala.' Vel ex additione, ut prius.

<A generato>

A generato argumentatur sic levi mutatione argumentorum et suarum maximarum.

De loco a corruptione

4.1.21 Corruptio est egressio ab esse quocumque in non esse.

Iuxta quam argumentatur *constructive* sic: 'Corruptio sanitatis non est bona; ergo sanitas est bona.' *Maxima*: Quod removetur a corruptione secundum naturam corrupti, convenit corrupto.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omne corruptum cum corruptione sanitatis non bona est bonum. Sanitas est corrupta etc. Ergo sanitas est bona.'

Destructive sic: 'Corruptio sanitatis est mala; ergo sanitas non est mala.' *Maxima*: Quod convenit corruptioni secundum naturam corrupti, removetur a corrupto.

Reducitur in quartum primae sic: 'Nullum corruptum corruptione sanitatis, cum corruptio sanitatis sit mala, est malum. Sanitas est corrupta etc. Ergo sanitas non est mala.'

A corrupto

A corrupto arguitur levi mutatione exemplorum et maximarum.

Si obicitur, quod non sequuntur argumenta iuxta hos locos, cum generatio et corruptio et eorum termini non sint simul, cum enim sanatio est, sanitas non est neque bona neque mala.

(4.1) 341 quod] *coniecit* Kr; *add.* non P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Dicendum, quod non sumuntur termini, i.e. supposita entitati rei, simpliciter.

Praeterea. Dicuntur a concomitantibus substantiam, quia motus et motus terminus secundum quod huiusmodi sese definiunt.

De loco ab usibus

4.1.22 Per locum ab usu contingit argumentari *constructive*. Est autem usus operatio per instrumentum, ut equitare per equum. Verbi gratia: 'Equitare est bonum; ergo equus est bonus.' *Maxima*: Quod convenit usui secundum quod huiusmodi, convenit ei, cuius est usus.

Reducatur in tertium primae sic: 'Omne equitare est bonum. Equus est ad equitare. Ergo equus est bonus.'

Et patet solutio huius argumenti: [12r] 'Equitare est agere; ergo equus est agere.' Quia agere non convenit ei, quod est equitare, secundum quod usus, sed secundum se.

Destructive sic: 'Equitare non est bonum; ergo equus non est bonus.' *Maxima*: Quod removetur ab usu secundum quod huiusmodi, removetur ab eo, cuius est usus.

Patet huius reductio in quartum primae et solutio huius obiectionis: 'Equitare non est bonum, equo quiescente; tamen equus est bonus.' Quia intelliguntur termini simpliciter sive cum reduplicatione. Sic: 'Equitare non est bonum, quando est; ergo equus non est bonus.' Bene enim sequitur.

Ab usitato

Ab eo, cuius est usus, sive ab instrumento argumentatur similiter levi mutatione maximarum.

Si obiciatur, quod idem est locus ab usu et locus ab effectu.

Dicendum hoc esse verum uno modo, ut secundum quod equitare comparatur ad principium moventis, mediante equo; secundum autem quod solum ad equum et eius usus, non. Et concomitantur usus et instrumentum sese in definitione.

De loco a communiter accidentibus

4.1.23 Communiter accidentia dicuntur, quae simul accidunt necessario. Iuxta quae argumentatur *constructive* et *destructive*. Vel quae frequenter comitantur, iuxta quae argumentatur similiter et probabiliter. Verbi gratia: 'Sapiens non delinquit; ergo sapiens non poenitebit.' *Maxima*: A quocumque removetur unum communiter accidentium, et reliquum.

Reducatur in quartum primae sic: 'Nullus non-delinquens poenitebit. Sapiens est non-delinquens. Ergo sapiens non poenitebit.' Cum maxima sit probabilis, et argumentum probabile.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Patet autem numerus intrinsecorum locorum, scilicet quoniam tres a substantia praeter suos correlativos, praeterea locus a genere et a specie, et decem a parte et a toto, et quattuor a causis praeter correspondentes, et duos a generatione et corruptione, et tertium ab usu praeter suos correlativos, et unum a communiter accidentibus vicesimum tertium.

De locis extrinsecis

4.2 Restat de loco extrinseco. Est hic autem, cum medium est extra extremum problematum. Dividitur autem in locum (1) ab auctoritate sive a rei iudicio, quod idem est, et (2) a simili, (3) a maiore, (4) a minore, (5) a proportione, (6) ab oppositis, (7) a transumptione.

De loco ab auctoritate

4.2.1 Est autem locus ab auctoritate primus quoad logicum, cum consistat in dicere. Est enim auctoritas proprie dicta alicuius sapientis confirmata opinio vel aliter sententia imitatione digna. Sumitur tamen hic communiter, ut et iudicium, ut dicatur dictum plurium sapientum.

Iuxta hunc argumentatur *constructive* sic: 'Astronomi dicunt caelum esse volubile, ergo caelum est volubile.' *Maxima*: Pluribus ut sapientibus non est contradicere.

Reducatur in tertium primae sic: 'Omne dictum ab astronomis esse volubile est volubile. Caelum est dictum ab astronomis esse volubile, cum astronomi dicunt caelum esse volubile. Ergo caelum est volubile.'

Destructive sic: 'Aristoteles non dicit plures causas quattuor: ergo non sunt plures causae quattuor.' *Maxima*: Eadem quae prius.

Reducitur in quartum primae sic: 'Nulla dicta ab Aristotele non esse sunt. Plures causae quattuor sunt dicta ab Aristotele non esse, cum Aristoteles dicat non esse plures causas quattuor. Ergo non plures causae quattuor sunt.'

De loco a simili

4.2.2 Similitudo est unio in qualitate. Argumentatur autem iuxta locum a simili *constructive* sic: 'Socrates est albus. Et Plato est similis Socrati. Ergo Plato est albus.' *Maxima*: De similibus simile iudicium.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omnis similis Socrati, cum sit albus, est albus. Plato est similis Socrati, cum Socrates sit albus. Ergo Plato est albus.'

Destructive similiter sic: 'Similiter non inest quantitas [12v] Socrati nec etiam Platoni. Sed Socrati non inest quantitas. Ergo Platoni non inest quantitas.' *Maxima*: Quae prius.

(4.2) 5 a proportione - transumptione] *conieci*; ab oppositis, a proportione, a transpositione P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Reducitur in quartum primae sic: 'Nulli, cui non inest quantitas ut Socrati, cum Socrati non insit quantitas, inest quantitas. Plato est illud, cui similiter etc. Ergo Platoni non inest quantitas.'

Sed sumitur nomen 'similis' communiter, ut complectitur unitatem in quacumque dispositione. Est enim locus a simili hic: 'Socrates et Plato sunt aequales. Et Socrates est bicubitus. Ergo Plato est bicubitus.' Similiter hic: 'Aeque est Socrates homo ut Plato. Sed Socrates est homo. Ergo Plato est homo.'

De loco a maiori

4.2.3 Maius est, quod excedit aliud in quantitate vel potentia. Iuxta locum a maiori arguitur *destructive* solum sic: 'Rex non potest expugnare castellum; ergo nec miles.' *Maxima*: Quod non convenit ei, cui magis videtur, nec convenit ei, cui minus.

Reducatur in quartum primae sic: 'Nullus minor rege, cum rex non potest expugnare castellum, potest expugnare castellum. Miles est minor etc. Ergo miles non potest etc.'

Si obiciatur huic loco sic: 'Elephas non potest intrare per ostium; ergo non homo etc.' Similiter: 'Sacerdos non potest ducere uxorem; ergo nec acolytus etc.'

Dicendum omnia huiusmodi argumenta sophistica solvi per rectam intelligentiam eius, quod est maius et minus. Intelligendum enim argumentari a maiori, cuius maioritas adiuvaret unus, cui comparatur ad praedicatum recipiendum. Minus est, quod exceditur aliqua quantitate vel potentia aliqua.

De loco a minore

4.2.4 Iuxta locum a minore argumentatur *constructive* sic: 'Miles potest expugnare castellum. Ergo et rex etc.' *Maxima*: Quod convenit, cui minus videtur, convenit ei, cui magis.

Reducitur in tertium primae sic: 'Omnis maior milite, cum miles potest expugnare castellum, potest expugnare castellum. Rex est maior etc. Ergo rex potest etc.'

Iuxta hunc locum obicitur similiter ut iuxta praecedentem et consimiliter obiecta solvantur.

De loco a proportione

4.2.5 Proportio est certa habitudo rerum eiusdem generis. Proportionalitas autem est similitudo proportionum. Sumitur tamen hic proportio inter res diversorum generum, ut hominem et albedinem. Est enim locus a proportione hic: 'Sicut se habet corpus ad substantiam, similiter albedo ad qualitatem. Sed homo est species substantiae. Ergo albedo est species qualitatis.' *Maxima*: De proportionibus proportionale iudicium arguitur.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Etiam iuxta hunc locum sic: 'Sicut se habet rector navis ad navem, sic se habet rector scholae ad scholam. Sed rector navis non est eligendus sorte. Ergo rector scholae non est etc.' *Maxima*: Quae prius.

Reducitur in quartam primae sic: 'Nullus proportionatus rectori navis, cum rector navis non sit eligendus sorte, sed arte, est eligendus sorte. Rector scholae est proportionatus etc. Ergo rector scholae non est eligendus sorte, sed arte.'

Differt autem hic locus a loco a simili, quia hic fit per habere, ille autem per inesse.

De locis ab oppositis

A CONTRARIIS

4.2.6 Sequitur de locis ab oppositis, et primo a contrariis. Contraria enim sunt, quae nata sunt fieri circa idem regressive, sed non simul.

Iuxta locum a contrariis argumentatur *destructive* sic: 'Socrates est albus; ergo Socrates non est niger.' *Maxima*: Cui inest alterum contrarium, non inest reliquum.

Reducitur in quartum primae sic: 'Nullus albus est niger. Socrates est albus. Ergo Socrates non est niger.'

Constructive autem non arguitur a contrariis nisi immediatis cum constantia subiecti: [13r] 'Socrates non est sanus. Et est. Ergo est aeger.' *Maxima*: Cui alterum immediatum non inest, reliquum inest, subiecto existente.

Huius reductio patet sic: 'Omnis homo, non sanus existens, est aeger. Socrates est homo etc. Ergo Socrates est aeger.'

A PRIVATIVE OPPOSITIS

4.2.7 A privative oppositis arguitur *destructive* sic: 'Socrates est caecus; ergo Socrates non est videns.' *Maxima*: Cui alterum privative oppositorum inest, reliquum non inest.

Constructive autem non arguitur, nisi cum constantia subiecti et ipsis existentibus, in quo alterum debeat inesse. Sic: 'Socrates non est caecus. Et Socrates est et tempus, in quo debet esse caecus vel videns. Ergo Socrates est videns.' *Maxima*: Cui non inest alterum privative oppositorum, reliquum inest, subiecto existente et tempore determinato.

A CONTRADICTORIE OPPOSITIS

4.2.8 A contradictorie oppositis argumentatur *constructive* sic: 'Homo est risibilis; ergo non-homo est non-risibile.' *Maxima*: Si contradictorium de contradictorio, et reliquum de reliquo.

Reducatur in tertium primae sic: 'Omne contradictorie oppositum ad "homo," cum homo sit risibile, est non-risibile. Non-homo est contradictorie oppositum etc. Ergo non-homo est non-risibile.'

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

In non convertibilibus autem argumentatur e converso, quia non-moveri est superius ad non-animare, sed animatum est superius ad moveri, ordine *destructive* sic: 'Non-moveri non est proprium non-animati; ergo moveri non est proprium animati.' *Maxima*: Si unum contradictorium removetur ab uno, et reliquum a reliquo.

Reducitur in quartum primae sic: 'Nullum contradictorium ad non-moveri, cum non-moveri sit proprium non-animati, est proprium animati. Moveri est contradictorium etc. Ergo moveri non est proprium animati.'

A RELATIVE OPPOSITIS

4.2.9 A relative oppositis arguitur *constructive* sic: 'Pater est procreator; ergo filius est procreatus.' *Maxima*: Si unum relativum de uno, et reliquum de reliquo.

Syllogizatur sic: 'Omne relativum ad "pater," cum pater sit procreator, est procreatus. Filius est relativum etc. Ergo filius est procreatus.'

Destructive sic: 'Dominus non est exemplar; ergo servus non est imago.' *Maxima*: Si unum removetur ab uno, et reliquum a reliquo.

Syllogizetur sic: 'Nullum relativum ad "dominus," cum dominus non est exemplar, est imago. Servus est relativum etc. Ergo servus non est imago.'

Et concomitatur hos modos argumentandi proportio. Non tamen argumentatur ab hoc, sed virtute oppositionis.

DE LOCO A TRANSUMPTIONE

4.2.10 Transumptio est translatio a minus noto ad maius notum. Hoc autem fit ex parte terminorum, ut ab hoc nomine 'anthropos' ad hoc nomen 'homo,' vel ex parte rerum, ut a iustitia in aliis ad iustitiam in republica. Contingit enim rem esse notiorem in uno vel sub una proprietate quam in alio vel sub alia.

Iuxta hunc locum argumentatur *constructive* sic: 'Iustitia in republica est eligenda; ergo in aliis iustitia est eligenda.' *Maxima*: Quod convenit planiori secundum se, convenit minus plano.

Syllogizatur sic: 'Omnis iustitia in re publica est eligenda. Iustitia in aliis est iustitia in re publica sive eiusdem naturae. Ergo iustitia est in aliis eligenda.'

Item. *Destructive* sic: 'Nullus homo est asinus; ergo anthropos non est asinus.' *Maxima*: Quod removetur a planiori secundum se, removetur a minus plano.

Syllogizatur additione huius: 'Anthropos est homo.' Et dicitur locus extrinsecus, quia medium sub uno nomine est extrinsecum ad idem sub alio et similiter sub una proprietate.

(4.2) 113 e converso] *conieci*; converso P

(4.2) 145 destructive sic] *coniecit* Kr; *om.* P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

De locis mediis

4.3 Restat [13v] de locis mediis, qui sic dicuntur, eo quod medium partim sumitur in altero extremorum, partim extra. Quod ergo est iustum est partim in hoc, quod est iustitia (quia participant significationem et etiam vocem) et partim extra (quod patet, quia neutrum praedicatur de reliquo).

Sunt autem tres loci medii, scilicet (1) a coniugatis, (2) a casibus, (3) a divisione.

De loco a coniugatis

4.3.1 Coniugata dicuntur, quae sunt sub eadem significatione, quasi sub iugo, ut denominatum sumptum sive concretum et principale sive abstractum, ut albus albedo, iustus iustitia.

A coniugatis arguitur *constructive* sic: 'Iustus est bonus; ergo iustitia est bona.' *Maxima*: Si coniugatum de coniugato, reliquum de reliquo. Syllogizatur sic: 'Omne denominatum a iustitia, cum iustitia sit bona, est bonum. Iustum est denominatum etc. Ergo iustum est bonum.'

Destructive sic: 'Iustitia non est vitium; ergo iustum non est vitiosum.' *Maxima*: Si coniugatum removetur a coniugato, et reliquum a reliquo.

Syllogizatur sic: 'Nullum denominatum a iustitia, cum iustitia non sit vitium, est vitiosum. Iustum est denominatum etc. Ergo iustum non vitiosum.'

Si obicitur huic modo arguendi sic: 'Sedens est albus; ergo sessio est albedo.'

Dicendum argumentari a coniugatis in his, quae sunt eiusdem generis et per se ad invicem se habentibus, ut praedicta exempla.

De loco a casibus

4.3.2 Casus est inflexio nominis in adverbium, ut 'iustus, iuste.'

Problema: 'Estne iuste fieri bene fieri?' *Constructive* sic arguitur: 'Iustum est bonum; ergo iuste fieri est bene fieri.' *Maxima*: Si casus de casu, et reliquus de reliquo.

Syllogizatur sic: 'Omne fieri secundum casum a iusto, cum iustum sit bonum, est bene fieri. Iuste fieri est fieri secundum casum etc. Ergo iuste fieri est bene fieri.'

Amplius problema: 'Estne iuste fieri vitiose fieri?' *Destruatur* sic: 'Iustum non est vitiosum; ergo iuste fieri non est vitiose fieri.' *Maxima*: Si casus absit casui, et reliquus reliquo.

(4.3) 7 a coniugatis - casibus] *coniecit* Kr; a casibus, a coniugatis P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Syllogizatur sic: 'Nullum fieri secundum casum a iusto, cum iustum non sit vitiosum, est vitiose fieri. Iuste fieri est fieri secundum casum a iusto etc. Ergo iuste fieri non est vitiose fieri.'

Si obiciatur hic ut prius, consimiliter solvatur.

De loco a divisione

4.3.3 Divisio, ut dicit Boethius, est distributio generis in proximas species. Et sumitur pro distributione cuiuslibet communis in minus communia, ut vocis in significationes. Fit autem quandoque per negationem, quandoque sine. Item quandoque ex parte subiecti, quandoque ex parte praedicati.

Sine negatione sic: 'Socrates est sanus vel aeger. Et non est sanus. Ergo est aeger.' *Maxima*: A quoqumque removetur alterum dividentium, contingit reliquum.

Syllogizatur sic: 'Omne sanum aut aegrum et non sanum est aegrum. Socrates est sanum etc. Ergo Socrates est aegrum.'

Negative sic: 'Socrates currit aut non currit. Et non currit. Ergo non currit.' *Maxima*: Quae prius.

Si obiciatur hic esse petitionem principii.

Dicatur sic: Alia intentione sumit conclusionem, quia intentione asserere non currere Socrati, et alia partem praemissae, quia intentione removendi currere a Socrate, ut hoc remoto et divisione perfecta inferatur non currere.

A *divisione ex parte subiecti* sic: 'Animal aliud rationale, aliud irrationale. Simpliciter rationale et irrationale currunt. Ergo simpliciter animal currit.' *Maxima*: Quod convenit simpliciter dividentibus, convenit simpliciter diviso.

Syllogizatur sic: 'Omne illud, cuius aliud rationale aliud irrationale, cum simpliciter rationale et irrationale currit, currit simpliciter. Anima est illud etc. Ergo simpliciter animal currit.'

Similiter. A *divisione vocis in significationes* sic: [14r] 'Canis animal latrabile etc. Simpliciter latrabile et non latrabile est substantia. Ergo simpliciter canis est substantia.' *Maxima*: Quae prius.

Syllogizatur ut prius.

Patet etiam partim medium esse intra et partim extra in duobus modis primae, in secundis autem est medium intra.

(4.3) 42 Boethius, *De divisione* (PL 64.877B).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

V

<DE PROPRIETATIBUS TERMINORUM>

De suppositionibus

Quattuor sunt proprietates termini, quas ad praesens intendimus diversificare. Harum enim cognitio valebit ad cognitionem termini et sic ad cognitionem enuntiationis et propositionis.

<De divisione proprietatum>

5.0.1 Et sunt hae proprietates: (1) significatio, (2) suppositio, (3) copulatio et (4) appellatio. Est igitur *significatio* praesentatio alicuius formae ad intellectum. *Suppositio* autem est ordinatio alicuius intellectus sub alio. Et est *copulatio* ordinatio alicuius intellectus supra alium.

Et notandum, quod suppositio et copulatio dicuntur multipliciter, sicut multa huiusmodi nomina, aut secundum actum aut secundum habitum. Et sunt istae definitiones earum, secundum quod sunt *in actu*.

Secundum autem quod sunt *in habitu*, dicitur *suppositio* significatio alicuius ut subsistentis. Quod enim tale est, natum est ordinari sub alio. Et dicitur *copulatio* significatio alicuius ut adiacentis. Quod enim tale est, natum est ordinari supra aliud.

5.0.2 *Appellatio* autem est praesens convenientia termini, i.e. proprietas, secundum quam significatum termini potest dici de aliquo, mediante hoc verbo 'est.'

5.0.3 Ex his patet, quod *significatio* est in omni parte orationis seu dictionis, *suppositio* autem in nomine substantivo tantum vel pronomine vel dictione substantiva. Haec enim significant rem ut subsistentem et ordinabilem sub alio. *Copulatio* autem in omnibus adiectivis et participiis et verbis. *Appellatio* autem in omnibus substantivis et adiectivis et participiis. Et non in pronominibus, quia non significant formam aliquam, sed solam substantiam. Nec in verbis, quia verbum non significat aliquid, quod apponitur per verbum substantivum, quia sic esset extra ipsum.

5.0.4 Nulla autem istarum trium, scilicet suppositio, copulatio, appellatio, est in partibus indeclinabilibus, quia nulla pars indeclinabilis significat substantiam vel aliquid in substantia.

De significatione autem omittamus et de tribus aliis consideremus.

De suppositione

5.1.1 Et primo de suppositione et hoc primo secundum se, consequenter regulas datas de ipsa. Et quia iam habetur definitio, videamus eius divisionem.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<De divisione suppositionis>

5.1.2 Est igitur suppositio quaedam materialis, quaedam formalis. Et dicitur *materialis*, quando ipsa dictio supponit vel pro ipsa voce absoluta vel pro ipsa dictione composita ex voce et significatione, ut si dicam: '"Homo" est dissyllabum,' '"Homo" est nomen.' *Formalis* autem est, quando dictio supponit suum significatum.

5.1.3 Et haec sic dividitur: Alia simplex, alia personalis. Et est *simplex*, quando dictio supponit significatum pro significato, ut: 'Homo est species.' *Personalis* autem, quando supponit significatum, non pro significato, sed pro re, quae subest, ut: 'Homo currit.' Cursus enim inest homini gratia alicuius singularis.

5.1.4 Item. Est alia divisio suppositionis formalis, scilicet quod quaedam est communis et quaedam discreta. *Communis*, quae fit per terminum communem, ut :'Homo currit.' *Discreta*, quae fit per terminum discretum, ut: 'Socrates currit vel iste.'

Et nota, quod utraque divisionum totaliter comprehendit sub se suppositionem, formalem dico. Omnis enim dictio supponens aut est communis aut discreta.

5.1.5 Item. Aut accipitur pro forma significata et tunc est *simplex* suppositio, aut pro re deferente formam et tunc *personalis*.

5.1.6 Item. *Personalis* dividitur sic: Quaedam est determinata et quaedam confusa. *Confusa* sic: Quaedam [14v] confusa tantum, quaedam confusa et distributiva. Confusa et distributiva quaedam mobilis, quaedam immobilis.

5.1.7 Et est *determinata*, quando poterit exponi locutio per aliquod unum. Et hoc est, quando dictio supponit pro aliquo uno, ut cum dico: 'Homo currit.' Ista potest esse vera, quolibet currente. *Confusa* autem, quando dictio supponit pro multis. *Distributiva* autem, quando supponit pro multis, ita quod pro quolibet, ut haec dictio 'homo,' cum dico: 'Omnis homo est animal.' *Confusa tantum*, ut haec dictio 'animal.' *Mobilis* autem, quando potest fieri descensus, ut in praedicto exemplo in hoc termino 'homo.' *Immobilis* est, quando non potest fieri descensus, ut hic: 'Tantum omnis homo currit.' Non potest inferri: 'Ergo tantum Socrates currit.'

Sed videtur, quod in omni distributiva suppositione potest fieri descensus. Dictio enim supponit distributive, quae supponit pro multis, ita quod pro quolibet. Ergo potest fieri descensus ad quodlibet.

Et dicendum, quod in omni distributiva suppositione potest fieri descensus, quantum est de se, potest tamen impediri per aliquod adiunctum, ut in praedicto exemplo per hanc dictionem 'tantum.'

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<Dubitationes de divisione suppositionis>

1. Dubitatio <de divisione materialis / formalis>

Dubitatur de prima divisione suppositionis. Videtur enim, quod non sit diversus modus supponendi, sed potius significandi, quia significatio est praesentatio alicuius formae ad intellectum. Ergo diversa praesentatio diversa significatio. Sed cum dictio supponit materialiter, praesentat aut se aut suam vocem. Cum autem formaliter, praesentat suum significatum. Ergo diversa praesentat. Ergo diversa significat.

Hoc tamen non est verum, quia dictiones semper suum significatum praesentant, quantum de se est. Et si praesentant suam vocem, hoc non est secundum se, sed ex adiunctione cum praedicato. Quoddam enim praedicatum vult respicere solam vocem vel dictionem, quoddam autem significatum. Sed hoc non facit diversam significationem. Sicut enim dictio est dictio, antequam ordinatur in oratione, similiter ante habet significationem et non ex eo, quod ordinatur cum alio.

2. Dubitatio <de divisione simplicis / personalis, communis / discretae>

De secunda divisione et tertia dubitatur. Volunt enim quidam, quod haec divisio, alia simplex, alia personalis, sit divisio communis suppositionis, quia non cadit haec diversitas in discreta suppositione. Non enim est ibi nisi personalis. Semper enim supponit individuum in tali, scilicet in discreta suppositione.

Dicendum, quod hoc non facit personalem suppositionem, scilicet quod supponitur individuum, sed quod supponitur res deferens formam significatam per nomen. Et hoc potest accidere in nomine proprio, cum significat substantiam cum qualitate, ut cum dico: 'Socrates currit,' respicitur pro sua re. Cum dico: 'Socrates est praedicabile de uno solo,' respicitur pro forma significata per nomen.

3. Dubitatio <de divisione simplicis / personalis>

Similiter dubitatur de hac divisione: alia simplex, alia personalis. Videtur enim, quod haec diversitas facit aequivocationem, quia cum supponit simpliciter, praesentat ad intellectum formam significatam per nomen; cum autem personaliter, praesentat rem deferentem formam.

Ad hoc potest responderi, omnino sicut ad primum. Vel potest dici, quod semper idem supponit, scilicet significatum suum. Sed hoc dupliciter: Aut pro significato et tunc simpliciter, aut pro re significata et tunc personaliter.

<De suppositione simplici>

5.1.8 Nota triplicem modum suppositionis simplicis.

Notandum etiam, quod suppositio simplex potest esse tripliciter, quia dictio tripliciter potest poni (1) pro significato, scilicet sine omni comparatione ad res, vel (2) pro significato, comparato ad res. Et hoc dupliciter, aut (a) in quantum salvatur actualiter in unaquaque re et de ea praedicabilis est, aut (b) in quantum communiter et vago modo se habet ad quodlibet et cum nullo determinate est idem.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

5.1.9 *Primus modus* (1) fit sic: 'Homo est species.' Et solet dici, quod hic est suppositio manerialis, quia supponit pro ipsa manerie speciei.

5.1.10 *Secundus modus* (2a) fit sic: 'Homo est dignissima creaturarum.' Et non est similis haec suppositio priori, quia non praedicatur de ipsa specie abstracta, [15r] sed in quantum est in rebus. Unde potest tale praedicatum dici de qualibet re speciei, inquantum participat naturam speciei. Unde potest dici: 'Iste homo, inquantum homo, est dignissima creaturarum.' Et est haec suppositio, ubicumque res speciei suscipiunt aliquam praedicationem solum cum reduplicatione speciei et non aliter. Ut si dicam: 'Homo est animal,' haec est suppositio personalis, quia individua recipiunt hanc praedicationem sine reduplicatione speciei.

5.1.11 *Tertius modus* (2b) fit sic: 'Piper venditur hic et Romae.' Et non est suppositio similis primae, quia species ipsa non venditur. Nec secundae, quia non dicitur hic 'piper' inquantum piper, sed supponit hic 'piper' pro suo significato communiter et vage se habente ad suas res. Unde solet dici, quod haec est vaga suppositio. Et supponit pro specie inquantum per sua individua, sed non significata. Sicut si quaeratur: 'Quod animal est utile aratro?' et respondeatur: 'Bos,' respondens non intendit loqui de aliquo bove, sed de bove simpliciter. Similiter qui dicit: 'Piper venditur hic et Romae,' non intendit loqui de aliquo pipere, sed de pipere simpliciter.

1. Quaestio

Quaeratur: Utrum dictio, quae praedicatur, praedicet solam formam, et si stet, simpliciter aut non? Et videtur, quod non. Si enim ita esset, vere diceretur: 'Quaedam species est homo,' sicut dicitur: 'Homo est species.'

Dicendum, quod hoc non sequitur. Omne enim nomen significat solam formam et non absolute, sed inquantum informat substantiam, deferentem ipsam. Et sic aliquo modo dat intelligere substantiam. Nomen ergo in praedicato dat intelligere formam, dico, ut est forma substantiae subiecti. Et ideo cum illa substantia intelligatur in subiecto, non intelligetur iterum in praedicato. Unde praedicatum solam formam dicit. Nec tamen vere dicitur: 'Species est homo,' quia haec dictio 'homo' significat humanitatem, ut est forma individuorum. Et ideo non praedicatur de specie, quia non est forma substantiae speciei.

Et notandum, quod, quia praedicatum dicitur inesse subiecto, semper praedicatur forma, ut est inhaerens et informans. Subiectum autem quandoque supponit formam absolute, quandoque autem non, et hoc secundum exigentiam praedicati, secundum illud: 'Talia sunt subiecta, qualia permiserint praedicata.'

Sciendum autem, quod haec est auctoritas Boethii: 'Talia sunt praedicata, qualia permiserint subiecta,' et non huius conversa. Et est exemplum eius ibidem istud: 'Homo est iustus; Deus est iustus.' Diversimode enim sumitur 'iustus' hic et ibi, et hoc secundum exigentiam subiecti.

(5.1) 127 Boethius, *De trinitate* 4 (PL 64.1252A).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

2. <Dubitatio>

Item. Videtur, quod huiusmodi propositiones: 'Homo est species,' sint singulares, quia subicitur proprium nomen speciei.

Dicendum, quod non, quia nomen commune ideo est commune, quia est proprium unius formae. Unde esse sic proprium est esse commune.

1. Sed si sint indefinitae, videtur tunc, quod possunt definiri per adiectionem signi, ut dicatur: 'Aliquis homo est species.'

2. Et similiter hoc videtur, quia particularis et indefinita convertuntur.

Ad 1. Ad primum dicendum, quod ratio illa est intelligenda in indefinita, ubi est personalis suppositio. Et hoc est in indefinita, indefinite sumpta. Huiusmodi autem sunt indefinitae, sumptae singulariter, sicut quaedam sunt singulares, sumptae universaliter, ut: 'Totus Socrates est albus.'

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod particularis et indefinita convertuntur non quoad veritatem, sed quoad rationem syllogizandi. Quicquid enim sequitur ex aliquo cum indefinita, sequitur ex eodem cum particulari, et e converso.

3. Quaestio

Quaeritur etiam de his locutionibus: 'Haec herba crescit hic et in horto meo,' et similiter: 'Mulier, quae damnavit, salvavit,' utrum possint habere veritatem?

(1) Et videtur, quod non, quia pronomen demonstrativum demonstrat aliquid sub accidentibus, quae oculis aspici possunt. Ergo demonstrat aliquid singulare. Sed de singulari herba est haec falsa. Ergo simpliciter falsa.

Item. (2) Relativum ad hoc est, ut continet sequentem sermonem ad idem suppositum, de quo processit sermo. Sed de nomine eiusdem suppositi est secundus sermo falsus. Ergo est falsus simpliciter.

Ad hoc dicendum, quod in his sermonibus est (1) demonstratio simpliciter et similiter (2) relatio tertio modo. In primo enim sermone demonstrat herbam, secundum quod se [15v] habet communiter ad plura individua. Et sic in secundo sermone fit relatio.

<De suppositione personali>

5.1.12 Dubitatio de suppositione determinata.

Dubitatur de divisione personalis in determinatam et confusam. Videtur enim quod iste terminus 'homo,' cum dico: 'Homo currit,' non supponit determinate. Est enim indefinita. Et item incertum est, pro quo supponit. Ergo supponit incerte et indefinite. Ergo indeterminate.

Dicendum, quod determinatio uno modo opponitur incertitudini. Et secundum hoc potest dici, quod indeterminate supponit, ut obiectum est. Alio modo opponitur multitudini et est determinatum, quod unum est. Et sic stat determinate. Vis enim huius sermonis vult praedicatum inesse alicui uni et non multis, licet praedicatum insit multis. Hoc enim patitur aliquando, sed non significat. Et ideo supponit determinate et non confuse, quia de virtute locutionis supponit pro uno et non pro multis.

Nota de confusa suppositione

5.1.13 Item. Nota, quod confusa suppositio est, quando dictio supponit pro multis, vel pro uno multotiens sumpto, cum potentia ibidem tenendi

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

pro multis, ut si quilibet videat Socratem tantum, tunc: 'Omnis homo videt hominem.' Ly 'hominem' non supponit pro multis, sed pro uno multotiens sumpto cum potentia etc. Sed si dicatur: 'Omnis homo videt Socratem,' ly 'Socratem,' licet supponit multotiens, non tamen potest cerni ibi pro multis, et ideo non stat confuse.

Et intellige, quod ly 'hominem' totiens supponit virtualiter, quotiens potest descendi in subiecto. Sciendum ergo, quod omnis confusio est ab aliqua distributione vel ab aliquo habente vim distributionis.

1. Prima regula

5.1.14 Habetur ergo pro *regula*, quod omne signum distributivum confundit terminum sibi immediate adiunctum confuse et distributive. Sed signum affirmativum confundit terminum remotum confuse tantum. Signum autem negativum confundit terminum remotum confuse et distributive. Unde sequitur: 'Nullus homo est asinus; ergo nullus homo est iste asinus.' Sed non sequitur: 'Omnis homo est animal; ergo omnis homo est hoc animal.'

2. Secunda regula

5.1.15 Item. Non sequitur a suppositione confusa tantum ad confusam et distributivam, ut, omni homine videnti se tantum, non sequitur: 'Omnis homo hominem non videt; ergo omnis homo non videt hominem.'

3. Tertia regula

5.1.16 Item. Non sequitur a pluribus determinatis ad unum determinatum, sed ad unum confusum, ut, omni homine videnti se tantum, non sequitur: 'Homo videtur a Socrate et a Platone, et sic de singulis; ergo homo videtur ab omni homine,' sed sequitur: 'Ergo ab omni homine videtur homo.' Distributio enim virtutem habet in consequens et non in antecedens.

4. Quarta regula

5.1.17 Item. Non sequitur a determinata ad confusam et distributivam, sed ad confusam tantum. Ut non sequitur: 'Hominem non videt Socrates; ergo Socrates non videt hominem,' at si videat unum solum. Sed bene sequitur: 'Hominem videt omnis homo; ergo omnis homo videt hominem.'

5. Quinta regula

5.1.18 Item. A confusa et distributiva sequitur ad determinatam et non a confusa tantum. Ut: 'Socrates non videt hominem; ergo hominem non videt Socrates.' Sed non sequitur: 'Omnis homo videt hominem, ut si quilibet videat se tantum; ergo hominem videt omnis homo.' Distributio

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

autem aliquando manet immobilis, ut: 'Non omnis homo vel tantum omnis homo currit,' et huiusmodi.

Sciendum, quod non dicitur immobilis, quia non possumus ascendere in subiecto, sed quia non possumus descendere. Distributio est enim ipsorum suppositorum. Ergo cum ad hoc non possumus descendere, dicitur distributio immobilis proprie et similiter suppositio dicitur immobilis, quia non possumus descendere ad supposita, quia suppositio est pro supposito.

De copulatione

5.2.1 De copulatione autem sciendum, quod haec divisio: 'alia materialis/alia formalis, alia communis/alia discreta,' et haec: 'alia simplex/alia personalis' non dicuntur de ea.

Et ratio est: Quod dictio copulans, si ponitur materialiter, dicetur supponere et non copulare. Et iterum, quia omne copulans [16r] significat in adiacentia ad substantivam. Et sic copulat personaliter. Item. Omne copulans est nomen accidentis. Sed omne nomen accidentis est commune. Ergo nulla copulatio est discreta.

5.2.2 Sed has divisiones invenimus in copulatione, alia *determinata*, alia *confusa* (determinata, ut: 'Homo est albus'; confusa, ut: 'Omnis homo est albus'). Et iterum quaedam *confusa tantum*, ut in praedicto exemplo; quaedam *confusa et distributiva*, ut: 'Nullus homo est albus.' Et etiam sic est in signis distributivis copulatorum, qualia sunt: 'Qualislibet,' 'quantuslibet' et similia.

Et nota, quod huius modi signa copulativa distribuunt respectu suorum substantivorum, unde sua copulatio distributiva est. Suppositio autem suorum substantivorum confusa tantum, ut cum dico: 'Qualislibet homo currit,' illa copulatio distribuitur. Unde possum descendere ad copulata specialia sic: 'Qualislibet homo currit; ergo albus homo currit et niger etc.' Haec autem dictio 'homo' supponit confuse tantum, quia non possumus descendere: 'Qualislibet homo; ergo Socrates.' Tale signum significat accidens aliquod et istud distribuit respectu sui substantivi. Invenimus etiam copulationem distributivam immobilem, et: 'Non qualelibet' etc.

Nota etiam, quod ubi non tenet processus a suppositione ad suppositum, ibi non tenet a copulatione ad copulatum.

De appellatione

5.3.1 Restat videre de appellatione, cuius iam habetur definitio. Ex qua patet eius differentia (1) ad suppositionem, scilicet quod suppositio inest termino, secundum quod est sub altero. Appellatio autem inest

---

(5.2) 7 substantivam] *coniecit* Kr; substantiam P

(5.2) 8 nomen[1]] *conieci*; *add.* adiacentis sive P

(5.2) 26 copulatum] *add. in marg.*: Hoc dicit, quia regulae datae de suppositione in pagina praecedente <5.1.13–18> tenent similiter in copulatione P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

termino, secundum quod est praedicabilis de suis rebus, mediante hoc verbo 'est.' Et (2) ad copulationem, quia ipsa, in quantum est secundum se ordinabilis supra alius, inest termino.

Dicunt igitur quidam, quod terminus ex parte subiecti supponit et ex parte praedicati appellat. Et sciendum, quod ex parte subiecti supponit secundum utramque definitionem suppositionis, ex parte autem praedicati supponit secundum habitualem suam definitionem.

Sciendum etiam, quod terminus ex parte subiecti appellat suas res, sed non secundum quod est subiectum. Ex parte autem praedicati appellat et secundum quod est praedicatum. Secundum autem quod praedicatum, comparatur ad subiectum suum per aliquam suarum rerum. Et secundum hoc appellat.

5.3.2 Nota etiam, quod suppositum termini quandoque est aliquod ens, quandoque non-ens. Appellatum autem simpliciter est ens. Et sic suppositum et appellatum quandoque sunt idem, quandoque non.

Et ad hoc sciendum, quando sunt idem et quando non, datur haec *regula*: Terminus communis, non-restrictus, habens sufficientiam appellatorum, supponens verbo de praesenti, non habenti vim ampliandi, supponit tantum pro his, quae sunt.

5.3.3 Et apponitur hoc membrum: 'non-restrictus,' quia si sit restrictus, potest supponere pro non-enti, ut: 'Hic homo, qui fuit, est non-ens.'

Sed intellige, quod restringere est proprie cogere aliquid esse in breviori loco quam suae naturae competit. Et ad eius similitudinem dicitur implicatio. Et similiter dictio adiectiva dicitur restringere terminum communem. Unde de talibus restrictionibus intelligendum est hic et non de verbo, licet quandoque restringat, ut haec: 'Homo currit.' Iste terminus 'homo' secundum se potest supponere pro praeteritis, praesentibus et futuris, sed coarctatur hic ad praesentes per verbum praesentis temporis.

5.3.4 Hoc membrum: 'habens sufficientiam appellatorum' apponitur, quia, si non habeat, potest supponere pro non-enti.

Et intellige, quod sufficientia appellatorum in tribus consistit ad minus. Unde si non sint tot appellata, potest terminus [16v] supponere pro non-enti, ut si sint tantum duo homines, haec est falsa: 'Omnis homo est.'

Probatio: Hoc signum 'omnis' imponitur ad distribuendum pro summa multitudine. Et hoc signum 'uterque' pro minima. Cum ergo minima multitudo sit in binario, hoc signum 'uterque' distribuit pro duobus tantum. Maior autem multitudo est in ternario et superioribus numeris. Unde hoc signum 'omnis' distribuit pro tribus ad minus. Cum igitur in hoc casu sint duo supposita existentia, et vult iste sermo, quod praedicatam insit tertio, vult, quod insit non-existenti. Et sic haec falsa est: 'Omnis homo est.'

(5.3) 10 definitionem] *add. in marg.*: positam supra <5.0.1> in principio tertii folii ante istud P

(5.3) 29 talibus] *coniecit* Braakhuis (1977, 116 nota 15); tribus P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Et sua contradictoria vera: 'Aliquis homo non est; ergo homo non est.' Sed non-esse non dicitur de existenti. Ergo ly 'homo' supponit pro non-existenti.

1. Sed contra: Haec est vera: 'Omne animal est.' Ergo haec: 'Omnis homo est.' Iste enim terminus 'animal' habet sufficientiam appellatorum.

Ad 1. Dicendum est, quod in hoc casu non sequitur: 'Omne animal est; ergo omnis homo est,' quia ly 'animal' habet sufficientiam appellatorum. Unde supponit pro existenti tantum. 'Homo' autem non habet. Unde supponit pro non-enti. Et eadam ratione non tenet: 'Homo non est; ergo animal non est.'

2. Sed contra hoc fiat hoc argumentum: 'Omne animal est. Omnis homo est animal. Ergo omnis homo est.' Prima est vera, secunda necessaria, quia praedicatur genus de specie.

Ad 2. Dicendum, quod non valet hoc argumentum, quia cum dicitur: 'Omne animal est,' praedicatur hic esse actuale, quod est existere. Cum autem dico: 'Omnis homo est animal,' praedicatur esse habituale. Et secundum quod necessaria est, habet virtutem huius conditionalis: 'Si homo est, animal est.' Cum enim 'est' ponitur inter haec extrema: 'homo/animal' tamquam medium, dicit habitudinem mediam inter haec duo. Unde patet, quod variatur eius significatio in prima propositione et secunda. Unde non sequitur conclusio.

3. Adhuc videtur, quod haec sit vera: 'Omnis homo est,' quia dicit Aristoteles, quod dici de omni est, quando nihil est etc. Sed sub hoc subiecto 'nihil' est sumere etc., quia tantum duo homines sunt, de quibus dicitur praedicatum. Ergo hic dici de omni est.

Ad 3. Dicendum, quod iste terminus 'homo' supponit pro homine non-existenti. Ergo sub eo est non-existens, cui non convenit praedicatum. Unde non est dici de omni.

5.3.5 Hoc membrum: 'supponens verbo de praesenti' apponitur, quia si terminus communis verbo de praeterito et futuro supponeret, posset supponere pro non-enti, ut hic: 'Homo cucurrit' verum est pro Caesare.

Et solet assignari talis *regula*: Terminus communis, supponens verbo de praeterito, supponit tam pro praesentibus quam pro praeteritis. Et similiter supponens verbo de futuro supponit tam pro praesentibus quam pro futuris.

1. Sed contra: Verbum per consignificationem temporis restringit suppositionem termini. Ergo verbum praeteriti temporis solum restringit ad praeteritos et futuri ad futuros.

Ad 1. Dicendum, quod huiusmodi sermones, ubi praedicatur verbum praeteriti temporis vel futuri, sunt duplices, ut: 'Homo cucurrit.' Potest enim iste sermo dici compositus vel divisus. Si *compositus*, tunc debet continue proferri et continuitas subiecti cum praedicato significat, quod debeat sua suppositio discerni a praedicato. Et secundum hoc ly 'homo' supponit pro praeteritis et non pro praesentibus, nisi inquantum sunt praeterita. Si *divisus*, tunc debet discontinue proferri sic: 'Homo cucurrit.' Et significat

---

(5.3) 66 Aristoteles, *Analytica priora* I 1 (24b28–29).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

discontinuitas orationis, quod suppositio non discernitur per praedicatum. Et sic intelligenda est regula.

Unde non sequitur: 'Album videbatur a Socrate; ergo Socrates vidit album,' ut si scutum modo sit album, sed cum videbatur a Socrate fuit nigrum. Et dico, quod non sequitur, si antecedens sit divisum, sequitur autem, si sit compositum.

Et sic intelligendum de verbo de futuro, scilicet quod terminus communis ex parte ante supponit pro praesentibus vel futuris per compositionem et divisionem, ex parte autem post solum pro futuris. [17r]

5.3.6 Hoc autem membrum: 'non habenti vim ampliandi' apponitur, quia si sit verbum amplians, potest subiectum supponere pro non-enti, ut: 'Homo laudatur,' haec est vera pro Caesare et est verbum amplians, cuius res potest inesse non-existenti.

1. Sed contra: Verbum restringit suppositionem termini. Ergo aut per suam significationem aut per consignificationem. Si per *significationem*, ergo, tribus hominibus currentibus, haec est vera: 'Omnis homo currit.' Quod falsum est. Si per *consignificationem*, non erit per aliam quam per consignificationem temporis. Ergo omne verbum praesentis temporis restringit ad praesentes. Ergo iste terminus 'homo,' cum dico: 'Homo laudatur,' supponit tantum pro praesentibus.

Ad 1. Dicendum, quod verbum non restringit solum per significationem nec per consignificationem, sed per utrumque. Verbum ergo praesentis temporis cogit terminum supponere pro his, quibus praesentialiter potest sua res inesse. Unde cum res huius verbi 'laudatur' praesentialiter insit non-existentibus, ampliabit terminum ad non-existens. Et similiter hoc verbum 'potest' et similia.

Unde patet, quare, tribus hominibus existentibus, haec est vera: 'Omnis homo est;' tribus autem currentibus, haec est falsa: 'Omnis homo currit.' Quia ly 'esse' non potest praesentialiter inesse non-entibus, sed inest actualiter omnibus entibus; currere autem praesentialiter non potest inesse non-currentibus. Et omnibus his conditionibus observatis, idem erit suppositum et appellatum. Terminus enim supponit pro appellatis.

Vel aliter si proprie velimus loqui, dicamus, quod terminus de se supponit pro praesentibus. Et si supponat pro aliis, hoc erit ratione sui adiuncti, scilicet verbi ampliandi vel verbi praeteriti vel futuri temporis. Et erit haec ampliatio non solum ratione significati nec consignificati, sed per virtutem amborum. Unde cum dico: 'Homo currit,' supponit ly 'homo' de se pro praesentibus, et ab hac suppositione non trahitur ad praedicatum. Si autem dicam: 'Homo cucurrit vel potest currere,' iam trahitur haec suppositio ad non-existentes, in sensu dico compositionis. Unde debet proprie dici, quod hoc verbum 'potest' et similia ampliant suppositionem termini; hoc verbum 'currit' et similia non restringunt terminum, quia terminus de se supponit pro praesentibus.

Et dico, quod ille terminus 'homo' supponit pro praesentibus de se, quia significat formam in comparatione ad suas res. Haec autem comparatio tantum salvatur in existentibus. Solum enim est suum significatum forma existentium et propterea pro his supponit de se.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Haec autem de his sufficiant.

VI

DE FALLACIIS

<De disputatione>

6.0.1 Ut dicit Aristoteles in primo *Elenchorum* 'quattuor sunt genera disputationum, scilicet (1) doctrinales' sive demonstrativae, (2) 'dialecticae et (3) temptativae' et (4) sophisticae.

Et dico, quod tota substantia disputationis est syllogismus. Unde eadem sunt secundum rem disputatio et syllogismus. Sed *syllogismus* dicitur, in quantum habet virtutem super suam conclusionem; *disputatio* autem, inquantum per ipsum potest aliquis intellectum ordinare. Et cum hoc contingat facere per plures syllogismos et non per unum sufficienter, omnis disputatio erit multi syllogismi. Et sic sophisticus syllogismus et sophistica disputatio idem sunt.

<De disputatione sophistica>

6.0.2 Finis autem, ad quam intendit sophista, est apparens sapientia. Et propterea sophistica disputatio est illa, per quam potest quis apparere sapiens. Hoc autem est, cum apparenter vincit. Et hoc, cum apparenter ducit respondentem ad inconveniens. Et sunt quaedam in sermone conditiones, ex quibus sumit disputatio sophistica apparentiam veritatis, et nominantur *loci sophistici*.

Inconvenientia autem, quae intendit sophista, vocantur *metae*. Ad cognitionem igitur sophisticae disputationis oportet cognoscere metam tamquam [17v] eius finem et locum sophisticum tamquam eius principium. Meta ergo, ut dictum est, est inconveniens, ad quod tendit disputatio illa. Et dicitur meta, quia ultra eam non progreditur.

Metae autem sunt quinque, scilicet (1) redargutio, (2) falsum, (3) inopinabile, (4) nugatio, (5) soloecismus. Et est *redargutio* praeconcessi negatio vel praenegati concessio. *Falsum* autem est illud, cuius intellectus inaequatur rei. *Inopinabile* est, quod est contra opinionem plurium vel sapientum. *Nugatio* inutilis eiusdem repetitio. *Soloecismus* autem sermonis incongruitas.

(6.0) 3 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 2 (165a38–39).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Sed contra. Videtur, quod redargutio et falsum non sunt opposita. Omnis enim redargutus concedit falsum et non convertitur.

Ad hoc dicendum, quod inconveniens redargutionis non est ex concessione falsi, sed ex concessione incompossibilium, et propter hoc redargutio et falsum sunt diversa secundum se.

<*De locis sophisticis in dictione*>

6.1 Redargutio est prima metarum, ad quam principaliter intendit sophista. Principium autem disputandi ad hanc est duplex: (1) Unum ex parte sermonis et dicitur *locus in dictione*, (2) et aliud ex parte rei et dicitur *extra dictionem*. Et nominantur magis per positionem et privationem dictionis, quia, licet res simpliciter sit prior dictione et sermone, est tamen e converso, quod intendit sophista.

Sciendum ergo, quod in omni loco sophistico oportet esse apparentiam alicuius conditionis veri syllogismi et non-existentiam eiusdem. Omnes ergo loci in dictione apparentiam habent ex identitate sermonis et non-existentiam ex diversitate rei.

Identitas autem sermonis aut est totius sermonis aut termini i.e. terminationis. Identitas enim principii vel medii non posset esse principium decipiendi, ut patebit. Identitas autem totius sermonis aut est in substantia sermonis solum aut etiam in substantia sermonis cum suo actu. (Dico autem actum sermonis, cum iam actu proferatur.) Et haec identitas aut est dictionis simplicis aut orationis. Si sit dictionis et illi correspondeat diversitas in re, nominatur *aequivocatio*; si autem orationis, nominatur *amphibologia*. Identitas sermonis secundum substantiam solum aut est orationis et nominatur *compositio* vel *divisio*, aut dictionis et nominatur *accentus*. Identitas autem secundum terminationem sermonis, secundum quod est principium decipiendi, solum est in dictione et nominatur *figura dictionis*.

Et loquor de his identitatibus, secundum quod respondet diversitas ex parte rei.

De aequivocatione et eius tribus modis

6.1.1 Est ergo aequivocatio eiusdem dictionis diversa significatio. Et hoc potest esse tripliciter: (1) Aut quod dictio significet de se plura. (2) Aut ex coniunctione eius cum alio. Et primum dupliciter, scilicet quod (a) proprie significet plura, aut (b) transumptive.

Exemplum primi: 'Omnis canis currit. Caeleste sidus est canis. Ergo caeleste sidus currit.' Hic enim ly 'canis' proprie plura significat.

Ad hunc modum habent reduci per locum ex diversa consignificatione. Utrobique enim unitati dictionis proprie respondet diversitas rei, et non transumptive. Verbi gratia: 'Quicumque sunt episcopi, sunt sacerdotes. Isti asini sunt episcopi. Ergo isti asini sunt sacerdotes.'

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Exemplum secundi: 'Quidquid currit, habet pedes. Secana currit. Ergo Secana habet pedes.' 'Quidquid ridet, habet os. Pratum ridet. Ergo pratum habet os.' 'Quidquid expedit, est bonum. [18r] Malum expedit. Ergo malum est bonum.'

Isti enim termini: 'currit,' 'expedit,' 'ridet' principaliter significant unum et transumuntur ad aliud propter aliquam similitudinem. 'Expedire' enim proprie dicitur de bono et est idem quod bonum simpliciter. Tunc mutatur autem ad utile et dicitur de malo.

Exemplum tertii: 'Quisquis sanabatur, sanus est. Laborans sanabatur. Ergo laborans sanus est.' Iste enim terminus 'laborans' nec de se nec transumptive dat intelligere nisi praesens, sed ex coniunctione cum hoc verbo 'sanabatur' dat intelligere praeteritum. Nec tamen dico, quod sic sit praeteriti temporis, sed quod de se consignificat praesens simpliciter, hic autem praesens respectu praeteriti. Et hoc secundum rem praeteritam est. Diversitas ergo, quae correspondet unitati vocis, est praesens simpliciter et praesens respectu perfecti.

Et non dico, quod isti modi sint essentialiter differentes. Haec enim diversitas est solum ex parte non-existentiae. Ubique enim unitas vocis simpliciter eadem, sed ex parte significatorum differentia.

Et intellige, quod in secundo exemplo primi modi uno modo potest esse figura dictionis, scilicet secundum quod identitas terminationis huius dictionis 'episcopi' et non identitas totalis vocis facit apparere identitatem consignificati.

Solvere huiusmodi paralogismos est ostendere ipsum terminum sumi multipliciter.

1. Contra ultimum modum sic: Dictio est prior natura quam oratio. Retinet ergo esse dictionis, antequam ingrediatur orationem. Hoc autem habet ex sua significatione. Suam ergo significationem habet, antequam ingrediatur orationem et non ex ordinatione sui in oratione. 'Laborans' ergo cum ex se significet unum, non significabit aliud ex ordinatione sui cum altero.

2. Item: Deceptio, quae provenit ex ordinatione unius cum altero, non est ex dictione, sed potius ex oratione. Nam sic non esset aequivocatio.

Ad 1. Dicendum est, quod necesse est dictionem habere significationem ante orationem et ab ea nullam potest habere. Verumtamen significatio, quam habet ex adiuncto suo, poterit permutari. Et hoc est non in omni dictione, sed in illa, cuius significatio vel consignificatio est una intentio participata a pluribus secundum prius et posterius. Et tunc illa dictio significabit de se illud, quod primo participat illam intentionem. Ex adiunctione autem potest significare illud, quod posterius eam participat. Sic est hic. Haec dictio enim 'laborans' consignificat praesens, quod primo salvatur in praesenti simpliciter, per posterius autem et diminute in praesenti de praeterito.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non est idem dictionem ordinatam significare plura et orationem. Nec deceptio ex illo, i.e. dictione ordinata. Ex hoc, i.e. in oratione, est deceptio. Hic enim in simplici dictione est apparentia, illic autem in oratione. Sequitur:

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

De amphibologia et eius tribus modis

6.1.2 Sequitur de amphibologia. Est igitur amphibologia diversitas sententiae, ex unitate orationis proveniens. Vel sic: diversa orationis significatio.

Et tango apparentiam per unitatem orationis et non-existentiam per diversitatem significationis. Sicut enim in aequivocatione unica est dictio secundum substantiam et actum et diversitas in significato, sic est hic unitas orationis secundum substantiam et actum, diversitas autem in significato.

Accidit autem deceptio ex hoc tripliciter, scilicet: (1) Ex eo, quod oratio principaliter plura significat. (2) Vel non principaliter, sed ex translatione. (3) Aut quia de se unum, coniuncta autem cum altero significat [18v] duo.

Exemplum primi: 'Quemcumque verum est panem comedere, panis comedit illum. Sed canem verum est panem comedere. Ergo panis comedit illum.'

Exemplum secundi: 'Quicumque arat litus, movet arenam. Iste arat litus, demonstrato aliquo frustra laborante. Ergo iste movet arenam.'

Exemplum tertii: 'Quidquid saeculum scit, saeculum habet scientiam de illo. Sed hic scit saeculum, demonstrato aliquo cognoscente saeculum. Ergo saeculum habet scientiam de illo.'

Sed intellige, quod haec oratio: 'Quidquid scit saeculum' et haec: 'Hic scit saeculum' amphibologia est primo modo. Haec autem: 'Scit saeculum' amphibologia est tertio modo. De se enim non significat plura, sed coniunctum cum alio.

Et non differunt modi essentialiter, quia non differunt per causas apparentiae, sed solum non-existentiae. Nec est verum, quod omnis amphibologia sit ex diversa constructione. Quod patet in secundo exemplo.

Distinguendum est igitur in huiusmodi paralogismis ipsam amphibologicam orationem, manifestando, quod quandoque sumitur in una significatione, quandoque in alia.

De compositione et divisione

6.1.3 Sequitur de compositione et divisione. Est enim *compositio* coniunctio aliquorum, quae magis volunt componi. *Divisio* autem est separatio aliquorum, quae magis volunt dividi. Et dico hanc coniunctionem et separationem in actu proferendi.

Causa apparentiae in *compositione* est identitas orationis compositae ad orationem divisam in substantia sermonis. Et causa non-existentiae diversitas earum secundum actum, cui respondet diversitas ex parte rei. Oportet enim orationem sumptam in syllogismo eandem manere et per hoc, quod deficit ab hac conditione, deficit ab esse syllogismi.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Apparentia autem in *divisione* est identitas secundum substantiam orationis divisae ad orationem compositam. Causa autem non-existentiae est diversitas earum secundum actum. Et cum dico hanc diversitatem, simul cum hac dico diversitatem secundum rem.

Et intellige, quod haec compositio non dicit causam apparentiae, divisio non-existentiae. Sed dicit actum unum sermonis et divisio dicit alium. Qui quidem actus fundatur in una substantia vocis.

Iuxta *compositionem* paralogizatur sic: 'Quidquid est possibile, erit verum. Album esse nigrum est possibile. Ergo album esse nigrum erit verum.'

Et dico, quod minor propositio est multiplex, scilicet ex eo, quod ista duo 'album' et 'esse nigrum' possunt componi respectu eius, quod est 'possibile.' Et sic significatur, quod hoc dictum compositum est possibile. Et sic est oratio composita. Vel possunt dividi ab invicem. Et tunc significatur, quod compositio huius praedicati 'esse nigrum' ad aliud, quod tunc est 'album,' est 'possibile,' quia ly 'album,' eo quod dividitur ab hoc praedicato 'esse,' habet tempus amplissimum.

Per hoc, quod dico 'possibile,' non trahit suam suppositionem ab illo, ut supponat pro albis illius temporis. Sed supponit pro his, quae nunc sunt alba. Est ergo minor propositio vera divisa. Et quia ipsa composita est, eadem illi secundum substantiam, creditur, quod sit eadem simpliciter et quod significet idem. Et sicut esset bonus syllogismus, ea sumpta composita, creditur, quod bonus sit, ea sumpta divisa. Sumitur igitur haec oratio 'album esse nigrum' in minori divisa et in conclusione composita. Aliter enim non est conclusio falsa. Et propter hoc deficit ibi haec conditio syllogismi, quod sit oratio, manens eadem. Apparet autem, quod maneat eadem, quia apparet, quod ipsa minor composita eadem sit divisae.

Item. 'Quidquid vivit, semper est. Socrates vivit. Ergo Socrates semper est.' Haec oratio 'semper est' sumitur divisa in maiori, in conclusione composita. Et sic deficit a syllogismo, apparet tamen non deficere. Apparet enim in maiori sumi composita propter identitatem compositae ad divisam.

Item. Aliud exemplum: 'Quidquid desinit nunc esse, de cetero non erit [19r]. Sed Deus desinit nunc esse. Ergo Deus de cetero non erit.' Sumitur enim haec oratio 'nunc esse' in maiori divisa, in minori composita.

Potest tamen hic esse *deceptio secundum compositionem* uno modo, quia si in maiori sumeretur composita, esset ipsa oratio eadem. Hoc autem potest credi propter unitatem compositae ad divisam.

(6.1) 132 erit] *coniecit* Kr; est P
(6.1) 140 esse] *conieci*; *add.* quod P

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Potest etiam alio modo esse *deceptio secundum divisionem*. Si enim in minori sumeretur divisa, esset bonus syllogismus. Hoc autem potest credi, quod sumatur divisa propter unitatem divisae ad compositum. Est ergo in primo exemplo in minori diversitas orationum, in secundo in maiori, in tertio in medio.

Sed quaeret aliquis: Quare magis dicatur haec oratio: 'Deus desinit nunc esse' composita a compositione eius, quod est 'nunc' cum hoc verbo 'esse,' et divisa a divisione eius ab illo, quam cum hoc verbo 'desinit' a compositione eius vel a divisione?

Et dico, quod sicut dicit Priscianus in fine tractatus de adverbio, quod adverbia magis proprie habent praecedere suum verbum. Et ideo magis vult hoc adverbium 'nunc' determinare hoc verbum 'esse,' eo quod praecedit ipsum et non praecedit alterum. Diximus autem, quod compositio est coniunctio eorum, quae magis volunt componi.

Exemplum divisionis: 'Quinque sunt duo et tria; ergo quinque sunt paria et imparia.' Haec oratio 'duo et tria' sumitur composita. Si sumeretur divisa, teneret argumentum. Videtur divisa ex unitate divisae ad compositam. Et sic est apparentia divisionis, ut diximus.

Item. 'Maius est tantumdem et amplius; ergo est aequale et inaequale.' Si sumatur haec oratio 'tantumdem et amplius' divisa, tenet argumentum. Modo autem sic videtur sumi ex unitate divisae ad compositam. Patet ergo per hunc paralogismum, quod non semper apparet in compositione et divisione esse una determinatio et duo determinabilia, sed solum aliquod, quod possit componi et dividi ab illo, sive cum alio componatur sive non.

De accentu

6.1.4 Sequitur de accentu. Est igitur accentus regularis modulatio vocis secundum elevationem et depressionem.

Et est triplex accentus: (1) acutus, (2) gravis, (3) circumflexus. *Acutus* est, qui incipit ab imo et tendit in altum. Est autem *gravis* ei contrarius. *Circumflexus* est, qui incipit ab imo et tendit in altum et iterum tendit in imum.

Est ergo quandoque deceptio, ex eo scilicet, quod aliqua vox sub diversis accentibus diversa significat. Videtur tamen una significatio et una dictio esse propter identitatem vocis in substantia.

Fit autem quandoque deceptio eo, quod aliqua vox primo regitur uno accentu, deinde alio; quandoque autem eo, quod primo regitur uno, deinde duplici vel e converso. Ut: 'Quidquid debet pendere, debet suspendi. Iustus debet pendere. Ergo iustus debet suspendi.' Vel sic: 'Omnis popu-

---

(6.1) 171 Priscianus, *Institutiones grammaticae* XV 39 (Keil III 89).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

lus est gens. Populus est arbor. Ergo arbor est gens.' Vel sic: 'Omnis quies est requies. Tu es qui es. Ergo tu es requies.' Vel: 'Quodquod fit invite fit contra voluntatem. Uva fit in vite. Ergo etc.' Solutio istorum est distinguere unum nomen ab alio.

1. Sed quaero sic: Sicut compositio et divisio ad orationem, sic accentus ad dictionem. Ergo si sint ibi plures fallaciae, sic et hic; vel si hic sit una, ita ibi.

2. Item. Dictum est, quod unitas vocis secundum substantiam et actum est apparentia in aequivocatione et amphibologia, unitas autem vocis secundum substantiam est principium apparentiae in compositione, divisione et accentu. Haec autem divisio: 'Unitas vocis aut est dictionis aut orationis' videtur esse solum per differentias materiales. [19^{v}] Et sic non videtur essentialiter dividi. Non ergo debemus essentialiter dividere aequivocationem ab amphibologia, nec compositionem et divisionem ab accentu. Sed solum videtur, ut differant per materiam.

Ad 1. Dico ad primum, quod minus differt actus compositionis ab actu divisionis quam unus accentus ab alio. Et propterea dicit Aristoteles, quod non est utile dialecticis facere paralogismum secundum accentum nisi in sermonibus poematicis, ubi non expresse exprimitur accentus. In communi enim sermone diversitas accentus statim exprimit diversitatem dictionum. Non sic in compositione et divisione. Sed ipsa compositio potest esse principium apparentiae respectu divisionis et e converso, unus autem accentus nullo modo respectu alterius, ubi solum est principium apparentiae ex unitate vocis in substantia.

Ad 2. Ad aliud dico, quod illa divisio non fit solum per differentias materiales, sed per essentiales. Cum enim dico unitatem dictionis, dico unitatem vocis magnam. Cum autem dico orationis, dico minorem. Id est ergo, ac si dicerem: Unitas vocis aut completa, ut dictionis; aut incompleta, ut orationis.

De figura dictionis

6.1.5 Sequitur de figura dictionis. Est igitur figura proprie dicta, quae consistit in terminatione quantitatis. Et ad eius similitudinem ipsa dictionis terminatio dicitur hic *figura.*

Fit autem hic deceptio ex eo, quod creditur ex identitate terminationis duarum dictionum vel eiusdem dictionis diversimode sumptae esse identitas in modo praedicandi. Est ergo causa apparentiae identitas dictionis secundum terminationem.

Causa autem non-existentiae est diversitas praedicamenti vel in modo praedicandi. Ex eo enim, quod dictio unius praedicamenti similiter terminatur ut dictio alterius, utimur uno praedicamento pro alio. Verbi gratia:

(6.1) 216 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 4 (166b1–3).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

'Socrates operatur; ergo patitur.' Creditur enim, quod hoc verbum 'operatur' sit passivum vel in praedicamento passionis propter terminationem passivorum. Est tamen de praedicamento actionis.

1. Sed quaeritur: Quae sit apparentia in huiusmodi paralogismis: 'Quidquid heri emisti, hodie comedisti. Crudum heri emisti etc.' Vel: 'Heri emisti album; ergo hodie comedisti album'?

2. Et quaero etiam: Quae sit causa non-existentiae? Si dicat, quod proceditur a praedicamento substantiae ad praedicamentum qualitatis, cum sumitur 'album' vel 'crudum' sub eo, quod est 'quidquid,' tunc eadem ratione esset hic paralogismus: 'Quidquid heri vidisti, hodie vides. Heri vidisti albedinem. Ergo hodie vides etc.' Quod falsum est.

Ad 1. Ad primum dicendum, quod haec dictio 'album' sive 'crudum' sub una terminatione appellat *hoc aliquid* et sic *quid* et significat *quale*. Et ideo creditur, quod significet *quid*, sicut *quid* appellat.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod cum decem sint genera modi praedicandi, modus praedicandi superioris de inferiori in quolibet genere est modus praedicandi in *quid*. Ut si dicatur: 'Animal est substantia, linea est quantitas, color est qualitas.' Et propterea quidlibet est *quid* in suo genere. Si autem comparentur omnia ad primam substantiam, solum secundae substantiae praedicantur in *quid* et qualitates in *quale*, et sic de aliis. Est ergo non-existentia non ex eo, quod permutatur substantia in qualitatem, sed ex eo, quod permutatur *quid* in *quale*.

Nota etiam, quod (1) quandoque permutatur in eodem genere *quale quid* in *hoc aliquid* et hoc per eandem apparentiam, (2) quandoque autem *quid* in *quale* vel in *quantum*, et hoc vel (a) sub praedicta apparentia (scilicet ex eo, quod eadem dictio similiter terminatur in appellando et significando) vel (b) ex eo, quod una dictio terminatur ut alia.

Exemplum primi (1) sit, quod [20r] 'Omnis homo videat se et currat. Inde omnem hominem videns currit. Ergo videns omnem hominem currit'. Et ly 'videns' in prima propositione dicit *quale quid*. Supponit enim pro vidente communiter. In conclusione autem stat pro eo, quod est *hoc aliquid*.

Exemplum secundi (2a): 'Quidquid emisti, comedisti etc.' Vel: 'Quidquid habuisti et non habes, amisisti. Decem habuisti et non habes. Sit, quod amiseris unum. Ergo decem etc.' Permutatur *quid* in *quantum*.

Vel sic: 'Quidquid dedisti, habuisti. Unum solum dedisti. Ergo unum etc.' Permutatur *quid* in *ad aliquid*.

'Quidquid bibis, est vinum. Cyphum bibis. Ergo cyphum etc.' Commutatur *quid* in *ubi*, quia bibere cyphum est bibere ex quo, quod est ubi et locus vini.

In omnibus est causa apparentiae identitas terminationis in significando et appellando.

Item (2b). 'Operatur, ergo patitur. Videt, ergo agit. Videre enim pati est.' Creditur tamen, quod sit 'agere' propter terminationem activam. In his et similibus est apparentia identitas terminationis unius dictionis ad aliam.

Universaliter ergo est apparentia identitas terminationis vel similis figura. Quod idem est.

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

<*De locis sophisticis extra dictionem*>
De fallacia accidentis

6.2.1 Sequitur de locis sophisticis extra dictionem. Et primo de loco sophistico secundum accidens. Et dicit Aristoteles, quod paralogismi fiunt iuxta hunc locum, quando 'quidlibet fuerit assignatum rei subiectae et postea accidenti.'

Ex quo patet, quod in his paralogismis sunt tres termini, scilicet subiectum, accidens et assignatum. Istorum autem terminorum cognitio in singulis paralogismis sic potest haberi. Ille terminus, qui bis dicitur inesse, *assignatum* est. Et hoc est maior extremitas, sed sua assignatio in quibusdam paralogismis est directa (i.e. facta per nominativum), in quibusdam obliqua (i.e. facta per casum obliquum).

Directa, ut hic: 'Socrates diligitur a te. Sed Socrates est interfector tui patris. Ergo interfector tui patris diligitur a te.' Iste terminus 'diligitur' est assignatum.

Obliqua, ut hic: 'A Socrate est Plato alter. Socrates est homo. Ergo ab homine est Plato alter.' Hoc, quod dico Platonem esse alterum, est assignatum, sed sua assignatio est de Socrate et de homine oblique facta. Et sic potest cognosci assignatum.

Ad alia cognoscenda notandum, quod dicit Aristoteles, quod in indifferentibus secundum substantiam non cadit locus iste, sed in differentibus. Et hoc intelligendum sic. Non fit locus iste, nisi cum medius et minor terminus differant. Sed non potest haec differentia esse secundum se, quia unum eorum semper vere praedicatur de altero. Sed haec differentia est respectu tertii, scilicet assignati.

Quod leviter patere potest in primo paralogismo. 'Socrates' enim et 'interfector,' cum secundum se sint idem, diversa sunt respectu huius assignati 'diligitur.' Interfector enim addit supra Socratem quoddam accidens, ratione cuius respicitur in conclusione ab assignato. Aliter enim non esset conclusio falsa. Manifestum est ergo, quod assignatum respicit medium et minorem non secundum quod idem sunt. Sunt ergo illae differentiae respectu assignati. Et sic est ubique.

Et cum sic sint diversa medium et minor (et non est haec diversitas secundum rem; tunc enim non esset vera praedicatio unius de altero), erit haec diversitas aut rei ad rationem (ut in praedicto exemplo; 'Socrates' enim dicit rem unam et 'interfector' dicit rationem differentiae ab illa) aut rationis ad rationem, ut hic: 'Amator tui diligitur a te. Sed amator tui est interfector patris. Ergo interfector etc.' 'Amator' [20^{v}] dicit rationem unam, ratione cuius respicitur ab assignato, 'interfector' aliam. Sic est hic diversitas rationis ad rationem respectu assignati.

(6.2) 29 cuius] *add. in marg.*: scilicet accidentis additi P

(6.2) 4 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 5 (166b28–30).
(6.2) 20 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 24 (179a35–39).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Ubi ergo est diversitas rei ad rationem, terminus denotans illud, quod est ut res, dicetur *subiectum*. Terminus autem denotans rationem diversam ab illo, dicetur *accidens*. Ut in primo exemplo 'Socrates' est subiectum, 'interfector' accidens.

Ubi autem est diversitas rationis ad rationem, quod subicitur alteri dicetur *subiectum*, reliquum eius *accidens*.

Et est universalis ratio, per quam debemus subiectum cognoscere, quod *subiectum* est illud, quod magis habet rationem rei respectu alterius. Et planum est, ubi est diversitas rationis ad rem. Ubi autem rationis ad rationem, semper illud, quid subicitur alteri, magis est ut res respectu illius quam e converso. Et sic possunt cognosci isti termini.

Et patet, quod causa apparentiae in his paralogismis est identitas subiecti ad accidens. Causa non-existentiae est diversitas eiusdem ab eodem, respectu assignati dico. Et quia haec apparentia est ex conditione rei et non dictionis seu signi, est iste locus extra dictionem.

Est igitur *accidens* idem extraneum vel idem divisum. Et sic tango per hoc, quod dico 'idem' apparentiam, et per hoc, quod dico 'extraneum' et 'divisum' non-existentiam. Et ideo paralogismi huiusmodi dicuntur esse secundum accidens.

Ostendere igitur in medio et in minore istam diversitatem respectu maioris sive assignati est solvere huiusmodi paralogismos. Exemplum: 'Tu cognoscis Coriscum. Coriscus est veniens. Ergo cognoscis venientem.' Te cognoscere assignatur primo Corisco et postea venienti. 'Coriscus' est subiectum et 'veniens' accidens. Addit enim supra Coriscum accidens, ratione cuius, scilicet accidentis additi, respicitur ab assignato. Aliter enim non esset conclusio falsa. Et propterea 'Coriscus' et 'veniens' sunt diversa respectu assignati. Et quia haec diversitas est rationis ad rem, dicitur 'Coriscus' subiectum eo, quod hic est ut res et 'veniens' ut accidens.

Et bene intellige, quod si sic dicatur: 'Percutis Coriscum. Et ille est veniens. Ergo percutis venientem.' Hic non est accidens. 'Veniens' enim in conclusione non respicitur respectu accidentis, quod 'veniens' addit supra subiectum, sed solum ratione substantiae. Et ideo 'Coriscus' et 'veniens' sunt idem respectu huius assignati.

De fallacia secundum quid et simpliciter

6.2.2 Sequitur de loco sophistico secundum quid et simpliciter. Et dicit Aristoteles, quod paralogismi accidunt iuxta hunc locum, cum aliquid sumitur secundum quid et non proprie et concluditur simpliciter.

Et intellige, quod quid idem est quod determinatio. Determinatio autem est duplex: (1) una *propria* (et haec est, quae trahit determinatum ad

(6.2) 77 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 5 (166b37–38).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

minus commune; haec enim est propria) et (2) alia *non propria*. Secundum primam non accidit deceptio, sed secundum secundam. Et propterea iungit ei, quod est secundum quid, hoc, quod dico 'non proprie.'

Causa apparentiae in his paralogismis est propinquitas alicuius sumpti secundum quid ad idem sumptum simpliciter. Propinquitas dico secundum dictionem. Et non dico dictionem actionem, quae vox est, sed dictionem passionem, i.e. vocis significatum, quod intellectus est. Intellectus enim est, quod primo per vocem significatur. Et sic patet, quod iste locus est extra dictionem, quia sua apparentia est ex parte significati et non signi.

Non-existentiae autem causa est diversitas eorumdem. Est autem quid non proprium duplex: (1) Aut *distrahens*, cum determinatio habet oppositionem cum determinato. Ut hic: 'homo mortuus.' (2) Aut non distrahens, sed *diminuens*. Ut hic: [21r] 'albus pedem.' Et secundum hoc dupliciter fiunt paralogismi. Verbi gratia: 'Socrates est homo mortuus; ergo est homo.' Vel sic: 'Socrates est albus pedem; ergo est albus.' Et tamen tenet sic: 'Est crispus caput; ergo est crispus,' quia hoc, quod dico 'crispus,' solum denominat ratione huius partis et propterea haec pars est quid proprium.

Et dicit Aristoteles, quod isti paralogismi solvendi sunt, considerando conclusionem ad contradictionem. Et hoc sic intelligendum. Ex ipsa conclusione sumenda est sua contradictoria, et tunc videndum, si ipsa contradictoria et praemissa possint simul stare. Quod si possint, manifestum est, quod non sequitur conclusio. Sed istud quid fuit quid non proprium.

De ignorantia elenchi

6.2.3 Consequenter dicendum est de ignorantia elenchi. Sed primo sciendum: Quid sit elenchus? Sic definit Aristoteles: 'Elenchus est contradictio unius et eiusdem, non nominis tantum sed rei, et nominis non synonymi sed eiusdem, ex his, quae posita sunt de necessitate, non connumerato eo, quod erat in principio, secundum idem et ad idem et similiter et in eodem tempore.'

Paralogismi autem secundum ignorantiam elenchi fiunt secundum omissionem alicuius istarum partium, sed non omnium, sed solum quattuor illarum, harum scilicet: secundum idem, et ad idem, et ceterarum.

Et hoc habet quaestionem: Quare plus secundum istas partes quattuor assignentur paralogismi secundum ignorantiam elenchi quam secundum alias?

(6.2) 110 et 1] *conieci*; *om.* P

(6.2) 100 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 25 (180a24–25).
(6.2) 107 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 5 (167a23–27).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Ad hoc dicendum, quod istae quattuor partes appropriantur contradictioni, aliae autem non. Sed sunt communes syllogismi et contradictionis, quia in ratione elenchi cadit syllogismus. Est enim elenchus syllogismus cum contradictione conclusionis aut duo syllogismi inferentes contradictorie opposita.

Fiunt ergo quattuor paralogismi per omissionem istarum quattuor partium. Secundum *primam* partem sic: 'A est duplum ad B secundum longitudinem et non est duplum ad B secundum latitudinem; ergo est duplum et non duplum.' Secundum *secundam* sic: 'A est duplum ad B et non est duplum ad C; ergo est duplum et non duplum.' Secundum *tertiam* sic: 'Socrates est castus naturaliter et non est castus simpliciter; ergo est castus et non castus.' Secundum *quartam* sic: 'Socrates currit in A et non currit in B; ergo currit et non currit.' In his quattuor paralogismis est ignorantia elenchi, quia videtur concludi contradictio et non concluditur. Deficit enim aliqua istarum partium quattuor.

Sed est hic dubitatio ex eo, quod in omnibus his paralogismis videtur esse secundum quid et simpliciter ex omissione determinationis. Ut si diceretur hoc modo: 'Non est duplum secundum longitudinem; ergo non est duplum'; 'est castus naturaliter; ergo est castus.' Et similiter de aliis.

Ad hoc dicendum, quod nihil impedit in his esse occasionem fallendi secundum quid et simpliciter. Sed causa principalis non est haec. Est enim differentia inter ignorantiam elenchi et secundum quid et simpliciter, quod secundum quid et simpliciter non intendit contradictionem concludere, ut prius monstratum est, quamvis in solvendo oporteat considerare conclusionem ad contradictionem. In ignorantia elenchi et si omittatur aliqua determinatio, tamen intendit concludere contradictionem simpliciter. Et sic differunt hi paralogismi ab his, qui sunt secundum quid et simpliciter.

Apparentia autem huiusmodi paralogismorum est ex ignorantia nostra eo, quod ignoramus contradictionem. Credimus enim, cum tot fuerint particulae contradictionis, quod omissio unius particulae non impediat totam contradictionem. Et sic manifesta est differentia inter apparentiam huius loci et [21^{v}] apparentiam praecedentium, quoniam apparentia praecedentium est aut ex parte rei aut ex parte intellectus. Huius autem apparentia ex parte nostra, quia ex ignorantia nostra. Est tamen aliqua apparentia ex parte rei, ut praedictum est.

De fallacia petitionis principii

6.2.4 Sequitur de paralogismis, qui fiunt secundum petitionem principii. Dicit autem Aristoteles, quod totidem modis fiunt paralogismi secundum petitionem principii, quot modis contingit petere principium.

(6.2) 154 Aristoteles, *De sophisticis elenchis* 5 (167a36–37).

Downloaded from https://www.cambridge.org/core. Stockholm University Library, on 21 Feb 2018 at 20:47:54, subject to the Cambridge Core terms of use, available at https://www.cambridge.org/core/terms. https://doi.org/10.1017/S0362152900009624

Petitur autem principium quinque modis: *Uno modo*, si ad aliud probandum, sumatur idem non differens ab illo secundum vocem nec secundum intellectum. Ut hic: 'Homo currit; ergo homo currit.'

Alio modo, si ad probandum particularem sumamus universalem, in qua est ipsa particularis. Ut hic: 'Omnium oppositorum eadem est disciplina; ergo omnium contrariorum.'

Tertio modo, si probare debeat universalem et petat in suis partibus. Ut si oporteret ostendere hanc: 'Omnium oppositorum est eadem disciplina,' et petat hoc: 'Omnium contrariorum est eadem disciplina' et 'omnium privative oppositorum,' et sic de aliis, concludens, quod 'Omnium oppositorum est eadem disciplina.'

Quartus modus, quod si oporteat concludere coniunctim, sumat divisim. Ut si debeat probare, quod 'Medicina est disciplina sani et aegri,' et sumat hoc modo: 'Medicina est disciplina sani et medicina est disciplina aegri,' concludens ex his coniunctim.

Quintus modus est, si debeat probare aliquid et sumat ipsum, quod de necessitate contingit, ad illud. Ut si oporteat probare, quod 'Latus est incommensurabile diametro,' et sumet, quod diameter est incommensurabilis lateri. His quinque modis petitur principium et fiunt paralogismi secundum petitionem principii.

Sed habet dubitationem, cum unaquaeque istarum argumentationum necessaria sit: Est in his locus dialecticus?

Ad hoc dicendum, quod veritas argumentationis non est solum in necessitate consequentiae, sed est simul cum hoc, ut faciat fidem rei dubiae. Hoc autem facere non potest nisi ex prioribus et notioribus. Cum ergo sumpserit in argumentatione idem conclusioni aliquo modo vel aeque notum vel minus notum eo, non erit argumentatio vera, eo quod non faciet fidem rei dubiae. Et tamen est ibi necessitas consequentiae secundum habitudinem localem, ut est exemplaris argumentatio vera, hoc est, ad faciendam necessitatem syllogisticam vel localem, sed non est ad usum argumentationis, cum non sit ex notioribus.

Est ergo petere principium sumere idem conclusioni probandae, quod est aeque notum vel minus notum. Et propterea appellatur petitio principii et non petitio conclusionis. Conclusio enim secundum se non est principium, sed secundum quod principaliter intenditur, ut probetur. Et ita est principium, quod movet probantem, sicut finis movet efficientem.

